EPISTOLA

PP. N.N. Chamberienſis &c.

Benedicite Reuerendiſſimi Patres.

SAtisfacturus Epiſtolis veſtris, ſequentes obſeruationes, tùm ex Proceſſu excerptas, tùm ab aduerſa parte auditas Reuerendiſs. PP. VV. dirigendas, & notificandas officij mei eſſe credidi, & primò vnde nullas dicunt eſſe Profeſſiones, ſecundò quæ veniunt in Conſtitutionibus corrigenda. Patientiam, & attentionem ſuper his habere humiliter ſupplico.

Rationes, ex quibus deducunt ij Religioſi nullas eſſe, & inualidas Profeſſiones noſtras, præcipuæ ſunt. Quia Conſtitutiones, quas profeſſi ſumus *continent multa contra Sac. Canones*, *Concil. Trid. Decreta Apoſtolica*, *& contra Regulam*. Quæ autem ſunt huiuſmodi non poſſunt eſſe melius bonum, adeoque nec materia Voti, vnde Votum ſuper his factum non tenet. Quod verò Conſtitutiones noſtræ contineant plura contraria ſupradictis, patet examinanti eaſdem. Probatum etiam fecerunt, vt infrà videbitur has Conſtitutiones corrigibiles eſſe, & emendabiles Capitula Generalia *1690. 1693. 1696.*

Secunda ratio eſt quia Profeſſio vt ſit valida, debet eſſe de Regula, & Conſtitutionibus à S. Sede approbatis, vt patet ex Cap. *ne nimia de Religioſ. domib. & Religioſ. diuerſitas eodem tit. in 6.* & hoc eſt peculiare nobis ex Breui Clementis VIII. incipien. *Paſtoralis muneris &c.* vbi dicitur quod ad nulla Inſtituta Ordinis Ciſtercien. tenemur, ſed tantum ad obſeruantiam Conſtitutionum per S. Sedem confirmatas, & confirmandas cum Decreto irritante: Si ſecus factum fuerit.

Vrbanus etiam VIII. qui noſtram Congregationem à Fulienſi diſtinxit, & inſtituit dicit regendam eſſe, & gubernandam iuxtà Conſtitutiones, & Statuta auctoritate Apoſtolica confirmata. Quod autem confirmatæ non ſint quas profeſſi ſumus, euidens factum eſt per Capitolum Generale *1696.* à quo iuſſum eſt obtinendam eſſe confirmationem earumdẽ à Summo Pontifice; neque adhuc vllum Breue confirmationis apparet, cum illæ conditæ ſint anno *1667.* & Breue in fine appoſitum ſit de anno *1595.* Hinc deducunt nullitatem Profeſſionum noſtrarum, ex nullitate Profeſſionum nullitatem electionum ex Cap. *Nullus Religioſus de elect. in 6. & ex*

nul-

Digitized by Google

multis alijs. Et etiam nullitatem Capitulorum Generalium, ex quo in ijs interfuerunt Superiores nulliter Profeſſi &c.

Deducunt etiam inualiditatem Sacramenti Pœnitentiæ miniſtrati à Confeſſarijs pro Monachis deputatis à ſimilibus Superioribus, qui non poſſunt habere vllam Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, cum ſint nulliter Profeſſi, & electi &c.

Deducunt adhuc ſuſpenſionem eorum omnium qui, vel quatuor minores, vel dimiſſorias pro Ordinibus à ſimilibus Superioribus ſuſceperunt, & irregularitatem ſi in ijs miniſtrauerunt, quia nulliter Profeſſi nullis Priuilegijs frui poſſunt, adeòque illi Superiores non poterant hos conferre, nec illas concedere &c.

Deducunt etiam has nullitates ex *num.* 21. *pag.* 36. de quo illic breuiter. Eaſdem nullitates colligunt ex defectu Diſcretorum de quibus in C. 64. *Regulæ*. Neque paruifacienda aut putanda ſunt malè deducta; Cùm enim Vrbanus VIII. per duo Breuia 1631. 1635. declarauerit Profeſſiones eorum, qui domibus non deſignatis nouitiatui fuerant, inualidas eſſe, quanto magis declararet nullas eſſe eorum, qui malas Conſtitutiones, & non confirmatas à S. Sede profeſſi ſunt?

Vnde remedia opportuna ſine dilatione ſunt quærenda, & optimè applicanda. Si enim perfectè non ſanatur hæc plaga, non poterit ſubſiſtere Congregatio, quia nimis publica facta eſt horum diffamatio, & ſi remedium ſimulatum opponitur, metuendum ſatis, nè ad S. Sedem recurratur, quod eſſet error peior priore &c.

EPIS-

EPISTOLA

Seù

RESPONSIO APOLOGETICA

Reuerendiſs. P. Abbat. General., Aliorumque Superiorum

Adm. Reu. P. D. NN. NN. Camberienſi &c.

ACcepimus tandem lubenti animo, Reuerentiæ Tuæ, literas è noſtro S. Petri de Lemenco Chamberij Cænobio ſexto Kalend. Auguſti datas, quibus vna direxiſti, & notificaſti præfati Monaſterij nonnullorum Monachorum dicta, & ſcripta circa ea, quæ ijdem putant, & ſuſtinent in Conſtitutionibus corrigenda, illiſque addenda, tibique ſummoperè gratias referimus pro huiuſmodi re, Nobis per quam gratiſſima, Teque, de noſtra ſuper his, vt par eſt, attentione, ne ambigas, deprecamur.

Tenemur ſiquidem Maioribus noſtris deferre, & morem gerere, ſed vſque ad Aras, cum tritum ſit Adagium Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica Veritas. & illud Eccleſiaſtici 4. Non contradicas Verbo veritatis vllo modo; Quo circa dietim apud Deum Opt. Max. mittimus cum Regio Pſalte ſuſpiria, & Vota, ne auferat etiam de ore noſtro verbum Veritatis vſquequaque, ſcientes cum Eſdra *lib. 3. cap. 4. num. 36.* quod omnis terra veritatem inuocat, Cœlum etiam ipſam benedicit, & omnia opera mouentur, & tremunt eam, & non eſt cum ea quidquam iniquum.

Hæc dicimus, vt admoneamus Te grauiter errare, ſi, quod abſit, exiſtimes, crimina, & vitia Maiorum noſtrorum ſi quæ forent, in eorum Statutis non ſolum à Nobis non abroganda, verum etiam palpanda fore, ac ſi eſſent Sacroſancta Concilia. Non enim de illis ſumus qui dignitates, virtutes putant. Auguſtis illam relinquimus ſententiam, alijſque, qui diuinis coli honoribus non timuerunt. Maiores ſumus in Congregatione, ſed inter Miniſtros, & non ſit nobis, aut pigrum inueſtigare, quod deſit, aut fateri, quod deſit, verecundum. Non quod acceperimus, aut iam perfecti ſimus; neque nos arbitramnr comprehendiſſe; Scimus profectò, ſicuti Patres noſtri, & nos non eſſe in decretis infallibiles, aut non corrigibiles; Propterea neque miramur, vel irritamur

quod Cenſuras Cambercenſium Monachorum, *auſus ſis, vt inquis, vel exſcribere, vel nobis tranſmittere*, cum ſemper parati fuiſſemus, & ſimus ad omnia illa corrigenda, & emendanda, quæ huiuſmodi correctione, & reparatione indiguiſſent, & indigent. Non enim inſenſati ſumus, veluti Galatæ, quaſi faſcinati, veritati non obtemperantes.

Examinauimus itaque per quàm attentè, & diſtinctè vnam ex rationibus, ex quibus præfati Religioſi deducunt nullas eſſe, & inualidas Profeſſiones, quia inter alia, Conſtitutiones, quas profeſſi ſumus, corrigibiles erant, & emendabiles, vt probatum fecerunt Capitula Generalia anno *1690*. *1693*. & *1696*. celebrata.

Iterum, iterumque fatemur Conſtitutiones editas anno *1667*. corrigibiles, & emendabiles fuiſſe, ſed eo planè modo, quo Capitula Generalia recenſita huiuſmodi publicam confeſſionem facere non erubuerunt poſt xjv. Decretum immediatè inter alia de anno *1693*. typis mandata, & præcisè, nimirum. *Facta reuiſione Conſtitutionum noſtrarum impreſſarum anno 1667, iuxta Decretum Capituli Generalis proxime præteriti, illiſque cum Conſtitutionibus anno 1595. compoſitis, quamuis in eſſentialibus nulla reperiatur facta mutatio, quædam tamen comperta ſunt adeſſe in Conſtitutionibus primò impreſſis, & deeſſe in vltimò impreſſis, & è contra. Ex his quædam poſita, vel ablata legitimè, nempe aut per Decreta duorum Capitulorum Generalium, immediatè ſubſequentium, aut per aliquod Decretum Summorum Pontificum, vel Sacræ Congregationis, alia verò non legitimè, licet in vſu fuerint: Quapropter ex omnia, quæ præter modum præſcriptum inſerta ſunt in Conſtitutionibus vltimò impreſſis, vel non repoſita, vt ſtant in Conſtitutionibus primò impreſſis, fideliter omnium Capitularium votis expoſita fuere. Ex his quædam Capitulum Generale cenſuit obſeruanda eſſe, vt iacent in Conſtitutionibus vltimò impreſſis, quædam reponenda eſſe, vt reperiuntur in Conſtitutionibus primò editis, in alijs denique facta fuit aliqua declaratio, ſeù correctio &c.*

Ex huiuſmodi tamen correctione, quia non de eſſentialibus, vt ſuprà in memorato Decreto patenter demonſtratum fuit, malè infertur vt infrà oſtendemus, *ergo etiam ex hoc capite profeſſiones noſtræ ſunt nullæ, & inualidæ*: Præterquam quod excuſari poteſt Capitulum Generale de anno 1667. ſi in euulgandis Conſtitutionibus vltimò impreſſis, quoad aliquam partem non ſeruauerit methodum, & normam præſcriptam in Breui Clementis Papæ Octaui fel. rec. incipien. *Ex debita Paſtoralis Officij &c.* confirmatiuo Conſtitutionum primò editarum, inſerendo Decreta aliqua, non tamen, quoad materiam ſubſtantialem, & eſſentialem, quæ nondum in Conſtitu-

Digitized by Google

ſtitutiones tranſierant. Excuſari poteſt, quia iuxta Aſcanium Tamburinum *de Iure Abbatum diſp.16.quæſt.5.* Capitulum Generale, iuxta Priuilegia potuit de anno 1667. diſpenſationem à ſe factam circa præfata Decreta Conſtitutionibus vltimò editis inſerta, illo in caſu, & anguſtia eſſe conformem menti Clementis Octaui, & quia, vt ait Bordonus *reſol.149.num.9.& 22. Statutum nunquam excludit bonam, & rationabilem interpretationem.* Bartol. *in l. Omnes populi ff. de Iuſtit. alijque relati &c. & quia lex aliquando ampliatur per ſuperuenientem cauſam.* Gloſs. mag. ſua §. *Et quamquam, Cap. exijt de verb. ſignif. & quia quæ ex neceſſitate fiunt non dicuntur fieri, contra, & in contemptum legiſlatoris, aut in fraudē legis*, ſicuti quando prohibetur alienatio alicuius rei, ea intelligitur de alienatione voluntaria, & non coacta, aut ex neceſſitate facta, vt egregiè idem Bordonus *reſol.* 136. Quod autem à pari Capitulum Generale prædictum in caſu noſtro, pro illa vice tantum non adimpleuerit requiſitam conditionem, prout in præfato Breui Clementis VIII. proceſſerit, non ex mera voluntate, ſed ex pura neceſſitate probatur. Etenim Conſtitutiones editæ auctoritate Apoſtolica anno 1595. Romæ cæperunt in proxime futuro Generali Capitulo anno 1598. corrigi, & expurgari, prout in libro Actorum *Q. A. pag.* 199. 202. *&* 365. & hoc idem factum fuit in ſubſequentibus Generalibus Comitijs, ita & taliter, vt Capitulum Generale 1620. Superiori Congregationis iniunxerit deputationem quatuor Patrum, *qui Conſtitutiones diligenter expurgent, & Decreta, quæ in vim Conſtitutionum tranſierunt, ijſdem inſerant, vt poſtea Capitulum Generale futurum illas per Triennium ad praxim reducendas tradat &c.* Hanc eamdem expurgationem iniunxit Capitulum Generale 1622. vt patet ex *dicto libro pag.* 378. Hoc idem ſancitum fuit in Generalibus Comitijs habitis de anno 1629. vt ex *d. libro &c. pag.* 387. Hæc eadem Prouincia Adm. Reu. Patri D. Ioanni à S. Franciſco, qui in antecedentibus duobus Triennijs extiterat Superior Generalis, & ex tunc Congregationis Primus Aſſiſtens à Capitulo Generali Pariſijs celebrato anno 1628. demandata eſt, vt videlicet Conſtitutiones ſecundum mentem Patrum Definitorum ab eo perceptam diſponat, & typis excudi faciat cum annotationibus &c. prout atteſtatur Acta præfati Capituli in lib. vt ſupra *pag.* 403. *&* s. Succeſſit tandem de anno 1630. diuiſio Monachorum Italiæ à Gallis & interim res ita ſe agebant, vt penè Chaos videretur in Congregatione ob huiuſmodi diuiſionem, eo vel maxime quia adhuc expurgatæ, correctæ, & expunctæ in pluribus, non dum typis datæ reperiebantur Conſtitutiones, immò nouis auctis Decretis dili-

 genti,

Digitized by Google

genti, indigebant, & attenta expurgatione, quam denuò Capitulum Generale de anno 1640. approbauit, & definitum fuit vt iuxta illud exemplar cætera aptarenrur, & excuderentur &c. vt in libro Q.B.pag.78.à tergo. Capitulum item Generale de anno 1645.demandauit Patri Generali futuro, vt omninò teneretur infrà terminum primi anni ſui gubernij typis edere Conſtitutiones ſecundum approbatam correctionem in ipſo Capitulo factam,& hæc omnia clarè videntur in libro Q.C. pag. 12.

Item Diæta Generalis anno 1664. auctoritate Apoſtolica Romæ celebrata pariter iniunxit futuro Generali vt recudi faciat Conſtitutiones, inſertis ſuo loco Decretis confirmatis, quæ vim habebant Conſtitutionis, & expunctis ijs, quæ per contrarium vſum iam erant omnino, & à multo tempore abrogata. Itemque ijs, quæ ad Monachos Gallos pertinebant, vt atteſtantur Acta libri Q.D. pag. 171. Verùm tàm ſancta, pia, & neceſſaria intentio, & iuſſio memoratæ Diætæ Generalis fruſtrata eſt non ſine dolore, ad iram vſque, Monachorum, ſuas tandem leges habere diſtinctè, & clarè typis editas cupientium.

Horum votis annuit tandem, & merito Capitulum Generale de anno 1667. celebrato, *hoc vno, & veniali errore*; quod Conſtitutionibus imprimendis *nonnulla etiam inſeruit Decreta promulgata* pro bono regimine Congregationis in eodem Capitulo Generali *non ſeruata forma* prælibati Breuis Clementis VIII. ſcilicet quod illa tantummodò pro Conſtitutionibus habeanrur Decreta; *quæ etiam à proximo immediatè* Capitulo Generali confirmata ſunt: *Error vtique*, ſi eſt, ſed venialis, & neceſſitate factus, ne videlicet expectatione alterius Generalis Capituli requiſiti ad confirmationem Decretorum, Superior Generalis futurus, obliuionem imitatus, & probabile erat, Prædeceſſorum, vt vidimus à ſeptuaginta, & amplius annis practicatum, perneceſſariam, & adeò deſideratam, differret, quin etiam omitteret Conſtitutionum promulgationem diſtinctam, & typis editam. Error igitur, ſed quia neceſſarius, & non voluntarius, vt probauimus, ideoque non cenſendus contra mentem præfati Breuis Clementis Octaui, qui, *quod notandum eſt*, approbauit Conſtitutiones editas anno 1595. licet, vt clarè conſtat per duo Capitula non confirmata. Error ſi quidem,ſed neceſſarius, toties quoties de nouo eduntur Conſtitutiones, quibus ad maiorem Regularem obſeruantiam inſeruntur Decreta ſancita ab eodem Capitulo Generali earumdem editionem Conſtitutionum præcipiente &c.

Tota igitur difficultas reducitur ad modum, & formam, quam non ſeruauit Capitulum Generale prædictum celebratum anno 1667.

cuius auctoritate inſerta ſunt Conſtitutionibus vltimò impreſſis quædam Decreta non approbata à duobus Capitulis Generalibus immediatè ſequentibus, derogando pro tali vice Conſtitutioni in contrarium præcipienti, ex quo pars ex aduerſo deducit omnes illationes, & præſertim illam de inualiditate Profeſſionum. Verum.

Sciendum eſt in primis præfata Decreta quamuis non approbata à duobus Capitulis vt ſupra fuiſſe tamen quater in anno lecta, & promulgata vna cum Conſtitutionibus in omnibus Monaſterijs Congregationis Immò, nemine contradicente, tanquam legitimas Conſtitutiones à tota Congregatione ſuſcepta, & obſeruata fuiſſe per ſpatium viginti annorum, & vltra, intra quod ſpatium ſeptem celebrata fuerunt Generalia Capitula, in quibus nemo reclamauit (licet adfuerit aliquis ex modò reclamantibus): Ea propter poſſe deduci fuiſſe per legitimam acceptationem, & conſuetudinem approbata, & confirmata Decreta prædicta inſerta prout ſupra. Conſuetudo ſiquidem parem vim habet cum lege, *l. de quibus ff. de legib. §. Ex non ſcripto Barboſ. axiom. Iuris 56. num. 5. & 11.* Conſuetudine introduci poteſt quodquod poteſt Statuto. Et quamuis nulla poſſit introduci conſuetudo contra eſſentialia Regulæ, ſcilicet Vota, bene tamen loquendo de obſeruantijs accidentarijs, vt loquitur *Nauarr. in man. cap. 12. num 50. cum Roder. tom. 1 quæſt. 68. ar. 2. qui art. pr. dicit ſufficere conſuetudinem decem annorum.*

Si qui occurrit defectus in Decretis de quibus ſupra huic prudentiſſimè ad cautelam, & ad dirimendos ſcrupulos nonnullorum, conſultum fuit à Capitulo Generali 1690. in quo mandatum fuit Abbati Generali, vt deputaret duos, aut tres peritiores Patres, qui notarent ea, quæ in Conſtitutionibus reperiuntur non approbata à duobus Capitulis immediate continuatis, & referrent Capitulo Generali ſequenti vt præſtitum eſt. Porrò in Capitulo 1693. celebrato in Monaſterio S. Pudentianæ de Vrbe ſigillatim omnia notata expoſita fuerunt toti Capitulo, & ſingulariter Patrum Capitularium ſecretis votis, & calculis ſubiecta: neue vlla deſit ſolemnitas rurſum in Capitulo Generali anno 1696. proxime elapſo celebrato, denuo ſubiecta, & confirmata. Appoſitum eſt ergò remedium.

Atqui, demus, citra tamen præiudicium, caſum quod huiuſmodi additio Decretorum facta anno 1667. ſit non ad mentem, immò contra præſcriptum Breuis Clementis Octaui, & noſtrarum Conſtitutionum anno 1595. editarum, non proinde ſequitur quod totum Corpus Conſtitutionum ſit vitiatum, & quod Profeſſiones factæ ab vltimo impreſſis Conſtitutionibus ſint inualidæ, vt dictitant Monachi Chamberienſes.

 Fal-

Falſum in primis eſt Conſtitutiones ſe habere per modum vnius indiuiſibilis ſecus vna non poſſet diuidi ab alia, & tranſgreſſor vnius Conſtitutionis, omnium eſſet reus, ac proinde omnibus foret puniendus pœnis, quas diſtinctè præſcribunt Conſtitutiones infligendas pro diſtinctis culpis, & diuerſis exceſſibus. Contrarium etiam patet, quod ipſimet opponentes ſcire deberent; maiores namque noſtri in eodemmet Capitulo, in quo Conſtitutiones de anno 1595 ſanxerunt, de hac erronea indiuiſibilitate illos arguere poſſunt, & arguunt; Ipſi enim die prima Iulij eiuſdem anni ex Actis recenſiti Capituli, vt apparet in libro Q. A. pag. 144. declarauerunt præciſè videlicet. *Ne Monaſteria Congregationis diutius remaneant abſque Superioribus, quibus onerοſum eſſet, & longum expectare Conſtitutiones conditas in hoc Capitulo, & in debita forma dirigendas, vt quamprimum diſcedant, & ſecum deferant pro Fratribus Monaſteriorum Decreta facta in hoc præſenti Capitulo ſuper Capita principalia Conſtitutionum, ipſaque authentica, & debitè ſignata à Patre, & Domno Vicario Generali, & Secretario Capituli, ac ſigillo munita: Quæ quidem Decreta ipſummet præcipit omnibus, & ſingulis Fratribus vt recipiant, acceptent, & obſeruent, quo vſque Conſtitutiones ad ipſos directa fuerint in debita forma, quod breui ſperamus futurum. Poſtea deputati ſunt quatuor Patres, & Seniores Capituli, qui cum Secretario eiuſdem omnia, & ſingula Acta, & Decreta in præſenti Generali Capitulo legant, reuideant, & examinent, ac ſtipulentur prout neceſſe fuerit, ac illa Decreta tantummodò notent ad Fratres dirigenda, quæ ad totam Congregationem ſpectant &c.*

Dicant ergo, deprecamur, Opponentes, numquid non ex hoc Decreto liquidò conſtat Conſtitutiones eſſe diuiſibiles? Numquid non corruit eorumdem ſomniata, & àerea prorſus indiuiſibilitas? Numquid ipſi tanti ſe faciunt, vt nobis imponere velint onera importabilia, quæ nec Patres, & Maiores noſtri vel portauerunt, vel nobis impoſuerunt, vt ſupra demonſtratum fuit? Quin etiam nobis exemplum reliquerunt fortiſſimum; & potiſſimum ad Chamberienſium Achyllem, indiuiſibilitatem videlicet deprædicatam, eradicandam, penitus deſtruendam, nedum compeſcendam.

Sufficerent hæc; Verùm ad abundantiam vſque, exeamus extra domeſticos parietes. Vſus planè eſt omnium Religionum, quod Capitulum Generale poſſit vnam Conſtitutionem mutare, alia non mutata, dummodò id debito modo fiat; neque enim Conſtitutiones ſunt vnum totum per ſe, ſed ſunt vnum aggregatum morale, quod ſicut accepit eſſe à Capitulo Generali, ita, & in conſeruari à libera voluntate eiuſdem Capituli dependet, quia, vt ait Bordonus *de Profeſſ. Regul. cap. pr. num.* 173. *& ſeqq.* licet Conſtitutioni-

bus ſuperaddatur Apoſtolica approbatio, ad huc remanent Regulares, etiam à Religione vires habuerint, & non à Pontificia confirmatione, per quam ſolum corroborantur. Hinc eſt quod Conſtitutiones vti Regulares, & adhuc ſub poteſtate Superiorum Regularium, poſſunt alterari, mutari, immò deſtrui, non obſtante confirmatione Apoſtolica, quia quilibet legislator ſuam legem mutare, & deſtruere poteſt; res enim, per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. *Eadem repetit cap. 2. num. 65. citans Mirandam tom. 2. quæſt. 19. art. 8. concl. prima, Roderic. tom. primo quæſt. 10. art. 4. & qu. 68 art. 5. & ratiò eſt quia confirmatio nihil aliud eſt quam Iuris prius habiti corroboratio, l. & quia ff. de Iuriſdict. Omn. Iudic. tum quia confirmatio etiam ſpecifica habet magis rationem Priuilegij, quarè non debet tollere libertatem abrogandi quam ante habebant legiſlatores. Ita idem Bordonus cap. 2. num. 76. pro quo facit etiam regula Iuris 96. fauore quod conceditur non retorquetur in odium, &c.*

Falſificatur ab aduerſarijs Axioma Iuris, vt ad ipſorum mentem retorqueatur; *nam, vt videre eſt apud Barboſam Axiom. 231. non dicit vtile per inutile vitiatur, ſed vtile per inutile non vitiatur; ſuper quod num. 4. declarat tamen pulchrè vt per Caſtrenſem conſ. 431. Si quæritur num. 2 lib. pr. vbi quod ſi inutile eſt connexum cum vtili, ita quod ſeparari non poſſint, ſi vtile eſt de Iure communi, trahit ad ſe inutile de iure ſpeciali, & vincit, ſic è contra.* Si verò æqualia ſunt, præualet inutile, ex quo non poteſt valere pro parte. Cùm ergò in noſtro caſu multo plures ſint Conſtitutiones non mutatæ, quàm ſint Decreta inſerta vt ſup. potiùs hæc ad illarum validitatē trahenda forent, ex ſuppoſitione quod eſſent indiuiſibiles, quod tamen eſt falſum, vt exemplo domeſtico etiam ſupra demonſtrauimus.

Pariter eſt Axioma Iuris 40. *Cauſa limitata limitatum producit effectum.* Cùm ergò tùm Conſtitutiones, tùm Breue Clementis Octaui non aliam pænam apponant, quam nullitatis, & irritationis eorum, quæ præter modum à Conſtitutionibus præſcriptum ordinata fuerint, non eſt extendenda eadem pæna ad ea, quæ vel mutata non ſunt, vel præſcripto, & legitimo modo ordinata, iuxtà commune prologuium, ac Iuris Axioma 96. fauores ſunt ampliandi, & odia reſtringenda 165.

Ad id autem, quod prætenditur ex aduerſo nimirum vt ſit valida Profeſſio debet eſſe de Regula, & Conſtitutionibus à Sancta Sede approbatis reſpondetur quod Canones citati loquuntur vtique de Regula, & nullam faciunt mentionem de Conſtitutionibus, cùm poſſit ſtare Profeſſio per ſolam Regulam, vt practicatur apud Caſſi-

nenſes

Digitized by Google

nenſes in formula Profeſſionis recenſita in eorumdem Conſtitutionibus *cap.58.num.14 pag.177.* vbi nulla mentio fit in dicta formula Conſtitutionum earumdem quamuis à Sancta Sede approbatarum &c. Quia Conſtitutiones ſe habent reſpectu Profeſſionis per modum accidentis, quamuis ſint Conſtitutiones vnius Congregationis indiuidualis, & ſpecificæ, & quamuis eſſent nullæ, ſeu deficerent, ſufficienter remanet valida Profeſſio ex vi Regulæ Diui Benedicti primi Inſtitutoris, ſecundū quam profitetur noſtra Congregatio; Ita doctè affirmat *Tondut. reſol.121.num.9.10.& 11.& Rota Romana coram Roias apud ipſum reſol. 133. per tot.* Sic nullo modo poſſunt ſubſiſtere allegata exaduerſo circa inualiditatem Profeſſionis, tùm eo maximè quia omninò falſum eſt Regulam ſiue Conſtitutiones reſpici tanquam materiam ab actu Profeſſionis. Secùs cuiuſcumque Conſtitutionis tranſgreſſio, ſiue Regulæ eſſet peccatum mortale, cùm tamen in Congregatione noſtra, exceptis Votis, nulla Conſtitutio obliget, neque ad veniale, niſi ob contemptum, ſeù præciſum præceptum Superioris, ſeù Votum particulare &c. Ad rem Angelicus Doctor *ſecunda ſecunda q. 186.art. 9. reſpondeo.* Votum Profeſſionis reſpicit principaliter tria prædicta ſcilicet Paupertatem, Continentiam, & Obedientiam, aliæ verò ad hæc ordinantur, & ideò tranſgreſſio horum non obligat ad mortale, niſi propter contemptum Regulæ &c. & eodem art. in reſponſ.ad primum. Ille qui profitetur Regulam non vouet ſeruare omnia, quæ ſunt in Regula, ſed vouet regularem vitam, quæ eſſentialiter conſiſtit in tribus prædictis, vndè, & in quibuſdam Religionibus cautiùs aliquid profitentur, non quidem Regulam, ſed ſecundum Regulam, ideſt tendere ad hoc vt aliquis mores ſuos informet, ſecundum Regulam ſicut ſecundum quoddam exemplar. &c.

Hæc doctrina prius edocta fuerat à noſtro Doctore Mellifluo de Præcept. & diſpenſ.cap.16. num.46. ſic dicente: *Qui ſe ideo periurum putat quod ad purum Regulam non obſeruat, videtur mihi non ſatis attendere quid iurauerit; nemo quippè cùm profitetur, ſpondet Regulam, ſed determinatè ſecundùm Regulam.* His quiſque &c. *conuerſionem, ſuamque deinceps conuerſationem ſeſe pollicetur dirigere. Ita etiam omnes Doctores*, de Regulis, & Conſtitutionibus tractantes.

In omnem caſum euidentiſſimè noſtrum confirmat intentum declaratio facta à Capitulo Generali de anno 1601.celebrato, quæ fuit vna cum alijs Decretis approbata à fel. rec. Paulo Papa V. per ſuas literas in forma Breuis incipien. His quæ &c. editas die 6. Aprilis 1620.& huiuſmodi declaratio habetur in d. libro Q. A. pag. 243.

præciſis verbis: *Capitulum Generale declarat Monachos huius Congregationis Profeſſos ante emanationem Conſtitutionum æqualiter in omnibus teneri ad earum obſeruantiam, ſicut, & Monachi Profeſſi poſt eas*: Quibus verbis liquidò conſtat fuiſſe factas Profeſſiones in hac noſtra Congregatione de illo tempore validas ſine dubiò habitas ante emanationem quarumcumque Conſtitutionum, & præcisè illarum quæ fuerunt conditæ, & confirmatæ anno 1595.

Nec obſtat allegatio Conſtitutionis eiuſdem Clementis Papæ Octaui incipien. *Paſtoralis muneris &c.* æditæ anno 1592. qua prætendunt Opponentes de eſſentia, & ſubſtantia ibi Clementem præcepiſſe quod euulgandæ Conſtitutiones à Sancta Sede confirmarentur, cum particula, ſeù clauſula irritante, *nempe ſi ſecus &c.*

Non obſtat allegatio prædictæ Conſtitutionis ſeu Breuis Clementis Octaui; *Per hanc enim* Summus Pontifex Congregationem olim noſtram B. Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, ſicuti ad omnia Indulta, & Priuilegia eiuſdem Ordinis habilitat, ità ab eiuſdem Abbatibus, & Prælatis omni prorſus Superioritate vendicat, & Sanctæ Sedi immediatè ſubijcit &c. *Particula autem ſeu Decretum irritans non Nos, ſed Prælatos* Ordinis præfati ferit, contra quos euulgatum eſt Breue ſeu primò dicta Conſtitutio, vt clarè etiam conſtat ex ſubſequentibus immediatè clauſulis, *non obſtantibus quibuſuis Apoſtolicis, etiam noſtris Conſtitutionibus, ſeu Ordinationibus de non tollendo Iure quæſito &c.*

Ad ſcrupuloſam autem particulam Breuis ſeu Conſtitutionis citatam ex aduerſo *ſed tantum Regularem obſeruantiam, & Conſtitutiones per Nos, dictumque Alexandrum declaratas, poſtquam edita, & per Nos confirmata fuerint, ſeu impoſterum per Fratres dictæ Congregationis edendas, & ſtatuendas, ac per Nos, & dictam Sanctam Sedem confirmandas &c.* Reſpondetur, Patres Chamberienſes ſeſe vel parùm gnaros oſtendere, vel maiorum noſtrorum haud reuoluiſſe monimenta, conuincuntur.

Sciendum igitur eſt Congregationem noſtram Sancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis in Monaſterio B. Mariæ Fulienſis Diæc. Riuenſis in Gallia, (à quo, & denominationem accepit) originem ſumpſiſſe. Hæc in primis à fel. rec. Sixto V. per Breue incipiens. Religioſos Viros &c. Dat. 5. Maij 1587. approbata fuit, idemque Pontifex per Bullam incipien. ſuper ſpecula &c. Dat. Idibus Nouembris eiuſdem anni præfatæ Congregationi facultatem tribuit vbique terrarum fundandi noua Monaſteria. Intereà Romæ cum aſſiſtentia Patris Alexandri memorati in Breui ſupraallegato Clementis Octaui de anno 1592. eiuſdem Pontificis iuſſu Monachi Fulienſes prouiſionaliter quaſdam leges ſibi confecerunt per eumdem-

met

met Magiſtrum Alexandrum declaratas,& auctoritate Apoſtolica confirmatas; At qui vſu non longo didicit Clemens fore Monachos breui morituros ſi eaſdem non attemperaſſet leges, aut Conſtitutiones, prouiſionales prædictas (vt actum eſt) Prędictæ autem Regulæ, leges, ſeù Conſtitutiones fuerunt conditæ occaſione, vt infra præciſis verbis, deſumptis de verbo ad verbum, e libro præfato Q. A. pag. 10. &c.

Nos Alexander Franciſcus Ordinis Prædicatorum Sac.Theol.*Profeſſor, & totius eiuſdem Ordinis Procurator, & Vicarius Generalis, nec non à SS.D.Noſtro Clemente VIII. Capitulo Generali Congregationis Reformatæ B.Mariæ* Fulien. *Ordinis Ciſtercien nuncupatæ Aſſeſſor Deputatus auditis, viſis, & conſideratis omnibus, quæ audienda videnda, & conſideranda videbantur, tam pro parte Reuerendiſſimi Abbatis Ciſtercienſis Ordinis Generalis, cæterorumque dictæ Congregationis cum eo facientium, quam pro parte Abbatis Fulienſis, & reliquorom cum eo conſentientium, dictamq reformationem, ac regularitatem amplexantium, & petentium, volentes aliqua pro eiuſdē Congregationis bono, ac promotione ſtatuere, & contra ortas diſſentiones de remedio opportuno prouidere, donec (NOTENT CHAMBERIENSES)* reliquæ Conſtitutiones per Sedem Apoſtolicam confirmandæ, condantur, *& aliud per Sanctiſſimum D. N. Clementem Octauum, vel Sanctam Sedem ſtatuatur, cenſuimus interim infraſcripta ſtatuere.*

Primo. Vt Monachi dictæ Congregationis ſeruent regularitatem prædictam videlicet vna cū Regula Diui Benedicti, vtantur Breuiario, & Miſſali Ciſtercienſi & cantu, qui dicitur indirectum, cū opere manuum iuxta prædictam Regulam, abſtinentes à Vino, Carnibus, Ouis, & Piſcibus, incedentes nudis pedibus cum Socculis in Domo Eccleſia, & Ciuitate, Sandalibus verò tantum in itinere, dormientes ſuper tabulas, ſaccones ſtramineos, vnica contenti tunica interiori, cum ſcapulari propter laborem, & exteriori Cuculla alba de vilioribus pannis tritis, atque infra collum pedum non deſcendant, cum manicis anguſtis iuxta palmi menſuram.

Secundo. Præter tria Vota ſubſtantialia Religionis, atque alia Præcepta Regulæ, omnia ſupradicta cæteraque ſtatuenda, & per Apoſtolicam Sedem confirmanda, ſolum obligent, vti Conſtitutiones Regulares obligare ſolent, *ſintq; pro loco, & tempore, ac neceſſitate per Prælatum Monaſterij diſpenſabilia cum quibuſdam, ſalua ſemper regularitate vniuerſali totius Monaſterij, & Congregationis ita vt nunquam diſpenſetur cum maiori, immo neque cum tertia parte Cōuentus ſuper quo diſpenſantis Prælati, & maxime Subditi diſpenſati conſcientiam grauiter oneramus.*

Ter-

Tertiò. *Hæc Congregatio per ſingula Monaſteria ſaltem duodecim Monachos, quorum ad minus octo ſint Clerici habeant; nam infra hunc numerum Grangiæ appellabuntur, & erunt. Singula ſuum Abbatem, vel ſaltem Priorem, qui ſuum Monaſterium iuxta præſcriptum Regulæ, cum conſilio Diſcretorum, ſiue Seniorum, qui ſint de maturioribus, ac diſcretioribus, regant, vocemque deciſiuam habeant in Capitulo Generali Congregationis, ſeu etiam Prouinciali, ſi per Prouincias Congregationem diuidi contingat, ita tamen, vt Supremus Præſidens Capituli habeat voces in quacumque deliberatione.*

Quartò. *Abbas Fulienſis pro tempore ſit Generalis Congregationis, poſſitque tam ipſe, quam Prouincialis de Triennio in Triennium confirmari, quod idem dicimus de alijs Abbatibus, quando tertio anno ſui Monachi petierint addi quartum, omnia tamen faciant per maiorem partem vocum in Capitulo Generali, vel Prouinciali &c.*

Quintò. *Vt autem nullum impedimentum huic regularitati*, vel Conſtitutionibus propterea confirmandis, cæteriſq; ſtatuendis, *accidere poſſit, ex diſſenſione, ac varietate Gubernantium, inhibemus tam dicto Abbati Fulienſi, quam Abbati Ciſtercienſi, ac Morimundenſi, cæteriſque quibuſcumque Ius, præſidentiam adminiſtrationem, atque Gubernium ſuper dictam Congregationem, atque eius Monaſterium, vel Monaſteria habentibus, vel prætendentibus, & iubemus, aut diſtrictè præcipimus ſub pœnis grauiſſimis arbitrio SS. D. N. ac noſtro imponendis, nè ſe aliquo modo de regimine, gubernatione, atq; adminiſtratione dictæ Congregationis, neque* de eiuſdem Conſtitutionibus condendis *per ſe, vel alium directè, vel indirectè immiſceantur, ingerant, vel immittant, ſed omnia per Vicarium de mandato eiuſdem SS. D. N. à Nobis deputandum, adminiſtranda, regenda, gubernanda, & ordinanda relinquant, donec aliud ſtatuatur.*

Sextò. *Atque vt melius eiuſdem Congregationis paci, & Monachorum eius conſcientiæ conſulatur, eos, qui ab hac regularitate, vel ab his, qui eam deſiderant, diſſentiunt, ex parte Domini Noſtri Ieſu Chriſti, atque Sanctiſſimi Vicarij ad prædictæ regularitatis obſeruantiam, & cum fratribus ſuis pacem, atque concordiam reuocamus, & hortamur. Quod ſi facere recuſent, in memoriam eorum reducimus propriæ Profeſſionis in regularitate prædicta, obligationem, à qua non ſunt in conſcientia abſoluti; vt tamen cum eis miſericorditer in quantum poſſumus, agamus ijs, qui in hac Alma Vrbe reperiuntur octo dies, qui verò intra montes, duos menſes, qui autem vltra montes exiſtunt quatuor menſes à publicatione, & notitia præſentium aſſignamus, intra quorum ſpatium de ſua ſalute deliberare, ſuaque Conſcientiæ conſulere poſſint, & debeant, atque nobis iuſtas, & legitimas cauſas talis diſſenſionis, & ſeparationis adducere, conuenien-*

tem

tem ſuper eam diſpenſationem, & ad aliam eiuſdem, vel alterius Ordinis regularitatem acceſſum impetraturi, quibus diebus, vel menſibus, reſpectiuè elapſis, eos, qui diſpenſationem præfatam non petierint, tanquam Apoſtatas puniendos fore mandamus &c.

In Vicarium verò totius Congregationis ad arbitrium noſtrum duraturum præficimus auctoritate Apoſtolica D. Ioannem de Sermoneta, cum ampliſſima facultate, & poteſtate, quam de Iure, vel conſuetudine habet, vel habere ſolet, Reuerendiſſimus Generalis Ordinis; mandantes in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ, vt ſtatim coram omnibus hoc onus acceptet, cæteris verò omnibus ſub pœnis &c. vt illum tamquam legitimum Vicarium Generalem acceptent &c.

Lecta fuerunt hæc, vna cum Breui Sanctiſſimi D. N. Clementis VIII. dato Romæ apud S. Marcum die 15. Iulij 1592.

Hinc eſt quod Patres Capitulares habentes tantummodò prædictas initiatiuas, ſiue prouiſionales leges, nouas Conſtitutiones condere, vt ſancitum erat ſupra, ſtatuerunt ſibi, à Sancta Sede confirmandas, prout adimpletum fuit de anno 1595. à Generali Capitulo, cui auctoritate Apoſtolica Reuerendiſs. Pater D. Coſmus Doſſena, poſtea Epiſcopus Derthonenſis, præſidebat, prout in Actis libro d. Q. A. pag. 103.

Hæc omina optimè nouerat Paſtoralis ſollicitudo Clementis, ac proindè in ſuo Breui incipien. *Paſtoralis noſtri muneris &c.* edito die 4. Septembris 1592. de Conſtitutionibus edendis mentionem fecit illis verbis: *Sed tantum Regularem obſeruantiam prædictam, & Conſtitutiones per Nos dictumque Alexandrum declaratas, poſtquam editæ, & per Nos confirmatæ fuerint, ſeù in poſterum per fratres dictæ Congregationis edendas &c.* quas vtique Conſtitutiones, nempè de anno 1595. conditas, idem Pontifex poſteriori confirmauit Breui incipien. *Ex debito Paſtoralis Officij &c.* Dat. Romæ die 8. Nouembris 1595.

Ad oppoſitionem autem alteram exaduerſo factam de Breui Vrbani Papæ Octaui fel. rec. tranſeamus.

Prætendunt Chamberienſes quod idem Vrbanus in prȩfato Breui incipien. *Ad vberes &c.* edito die 22 Maij 1630. neceſſariam, & eſſentialem confirmationem Conſtitutionum Nobis iniunxerit, quod eſt falſiſſimum, vt examinanti ſit manifeſtum: Vrbanus ſiquidem Octauus in diſtinctione noſtræ Congregationis à Fulienſi, vtraſque reliquit Congregationes in ſuo Iure, ſcilicet vt regerentur iuxtà Conſtitutiones, quas habebant, vtique confirmatas à Sancta Sede Apoſtolica; Hæc enim ſunt verba Breuis prædicti, nimirum. *Vnam Congregationem Monachorum S. Bernardi Reformatorum di-*

cti

Digitized by Google

ſti Ordinis nuncupandam, à primo dicta Congregatione, eiuſque Superioribus, & Monachis prorſus diſtinctam, & ſeparatam Nobis, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectam, ab vno Generali iuxtà regularia eiuſdem Ordinis Conſtitutiones, & Statuta, Apoſtolica auctoritate confirmata, regendam, & gubernandam.

Numquid Vrbanus his verbis ſpoliauit Capitulum Generale auctoritate, quam habent legiſlatores communiter, & peculiariter ab ipſiſmet Noſtris Conſtitutionibus iure radicali, & intrinſeco, quo potitur abrogandi, vel in toto, vel in parte, vel nouas condendi leges, & ſtatuta, debito tamen, & præſcripto modo? Ad confirmationem noſtræ Sententiæ, notandum eſt quod Congregatio noſtra Fulien. nobis circa præſentem Theſim dedit exemplum evulgando alias Conſtitutiones nouas à primò impreſſis in pluribus diuerſas typis editas anno 1637. abſque aliqua alia prætenſa Confirmatione Apoſtolica non obſtantibus quibuſcumque Breuibus Clementis, & Vrbani item VIII. præallegatis exaduerſo; iiſdem vltimò impreſſis apponendo Breue Clementis VIII. anni 1595. quo in perpetuum confirmantur Conſtitutiones quæcunque ad normam, & præſcriptum antiquarum factæ, & futuræ &c.

Sed quicquid ſit de hac quæſtione, ſunt, & erunt vtique noſtræ Conſtitutiones auctoritate Apoſtolica confirmatæ, quouſq; in his condendis, mutandis, declarandis, & abrogandis, & evulgandis, ſeruabitur modus præſcriptus ab ipſo toties memorato Breui Clementis Papæ Octaui &c. ſicuti ſeruatus fuit in edendis Conſtitutionibus anno 1667. demptis nonnullis Decretis inibi ex mera neceſſitate, vt diximus, inſertis, ac proinde, nec contra mentem ipſiuſmet Clementis; Clarum enim eſt, vt peregregiè Aſcanius Tamburinus de Iure Abbat. *tom.primo, diſput.16.quæſt.15.num.11.* ait, quod Religioſi non amittunt Priuilegia, etiamſi per vnum, aut plures actus contrà ea, aut ipſorum aliquod negligentia, vel ignorantia contrauenerint, & hoc ex Priuilegio Eugenij IV. in fauorem Caſſinenſium Monacorum liquidò conſtat.

Nec valet ratio ex aduerſo adducta ad oſtendendum oppoſitum, ſcilicet quod Conſtitutiones, quibus in præſentiarum vtimur non ſint confirmatæ; (Huiuſmodi ſed leuiſſimo fundamento) nimirum quod à Capitulo proximè fluxo celebrato anno 1696. Abbati Generali iniunctum fuerit, vt imprimi faciat Conſtitutiones, & inſuper ſatagat obtinere Breue Apoſtolicum earumdem confirmatiuum, quoad omnes earum partes &c.

Non valet ratio, quià Patres Capitulares in coordinatione Conſtitutionum imprimendarum, illis etiam inſerenda noua Decreta, intellexerunt; Quocirca ad tollendos ſcrupulos, & ad cautelam, ne

Digitized by Google

viderentur immemores Breuis præfati Clementis Octaui, demandarunt Abbati Generali futuro, vt ſatageret obtinere Breue confirmatiuum vt ſupra neceſſarium ſiquidem, ad hoc, vt Decreta noua vim Conſtitutionis haberent. Quod autem Conſtitutiones vſque adhuc non ſint editæ, in cauſa fuit Reuerendiſs. Pater Abbas Generalis ob infirmam valetudinem ſatis notam. Hoc vnum tamen dicimus quod ſi impoſterum Conſtitutiones typis ante Capitulum Generale proximè futurum edantur, adhuc nequaquam ſatagemus prædictum Breue Apoſtolicum obtinere, ne Capitulo Generali præterito obijciantur immeritò à Chambarienſibus ea, quæ ad fauorem Congregationis idem ſtatuerat, cùm iuxta 96. regulam Iuris, ſcilicet: *fauore quod conceditur, non debeat retorqueri in odium*.

Ad id autem quod releuare poterit pars aduerſa in contrarium, ſcilicet quod noſtræ Conſtitutiones non ſint confirmatæ eo modo, quo Conſtitutiones primò impreſſæ anno 1595. quòd in Præfatione Conſtitutionum vltimò impreſſarum *pag.* 14. *num.* 10. habetur: *Ne autem inutiles, & ſuperuacanea congeries Conſtitutionum fiat, harum Conſtitutionum Decreto abrogamus, antiquamus, nulliuſque roboris eſſe volumus quaſcumque alias ante hac factas in hac Congregatione Conſtitutiones &c.* Reſpondetur quod non *per hoc ſequitur* quod immeritò, & falsò inferunt, vel inferrent opponentes; *Ergò Conſtitutiones priores ſunt antiquatæ*: *Sunt antiquatæ* vtique, ſed non ex toto, neque in ſubſtantialibus, ſed ex aliqua parte, *ſunt antiquatæ*, ſed tantummodo *illæ*, quæ *vltimo impreſſis aduerſantur*, ſunt antiquatæ, *ſed iuxta præſcriptum* *Conſtitutionum* anno 1595. editarum, atque proindè de conſequenti iuxtà normam Clementis Octaui, & ſucceſſiuè remanent confirmatæ non ſecùs, ac Conſtitutiones prædictæ de anno 1595. in quarum Præfatione *pag.* 10. verba ipſiſſima, ac in vltimo impreſſis reperiuntur, nempè; *ne autem inutilis, & ſuperuacanea congeries &c.* Ac propterеà, ſicuti non ſunt notandi Patres, qui antiquas edidère Conſtitutiones, per ly *ne autem inutilis &c.* à pari per eadem verba recenſita; *ne autem inutilis &c.* non ſunt cauſandi poſteriores Patres Capitulares in alijs vltimò impreſſis Conſtitutionibus anno 1667. cum vtrique per ly *ne autem inutilis* voluerint intelligere antiquare Conſtitutiones ipſiſmet edendis non aduerſantes, quod ſemper debet intelligi *cum hac conditione*, ſicuti de Votis Religioſorum, ac Mulierum communiter fatentur Doctores quod Vota ſemper cenſentur cum hac neceſſaria ſaltem tacita conditione, *dummodò* Prælatus, & Maritus non prohibuerit, & quod hanc conditionem ſaltem tacitam Patres Capitulares in recitatis verbis Præfatio-

fatio-

fationis : *Ne autem inutilis &c.* habuerint, ſcilicet de non antiquandis Conſtitutionibus antiquis, in his quæ de nouo editis non aduerſantur, patet expreſsè, vel ex eo quia ſi huiuſmodi non habuiſſent mentem,& intentionem ijdem ſibi fuiſſent contrarij, quod nefas eſt ſupponendum; nimirum *quod ſimul, & ſemel deſtruerent quod intendebant conſtruere*, cum aliàs recentes Conſtitutiones in paucis, & nunquam in eſſentialibus, ſeù ſubſtantialibus diſtent ab antiquis, vel ex eo, quia vltimò impreſſis appoſuère *pag.* 382. Breue Clementis Papæ Octaui fel. rec. ſicuti reperitur in antiquis *pag.* 233. quo, eædem Conſtitutiones recentes, vtpotè factæ iuxtà præſcriptum Breuis, non ſecus, ac primò editæ confirmantur, & approbantur, quod vtique non appoſuiſſent, ſi per memorata verba Præfationis abſolutè, & ſimplicitèr abrogare, & antiquare, vel voluiſſent, vel intendiſſent.

Ad vltimum Conſtitutiones noſtræ Congregationis Reformatæ Sancti Bernardi ſunt conſtitutiuæ, & diſtinctiuæ eiuſdem ab omni alia Congregatione moraliter formaliter ſumptæ, non materialiter; materialitas autem non attenditur, cùm eadem res, quæ eſt materia Conſtitutionis vnius Religionis, eſſe poſſit materia alterius, verbi gratia abſtinentia ab eſu carnium eſt communis tum Patribus Carthuſianis, tum etiam nobis, & ſic de alijs &c. moralis formalitas in eo conſiſtit, quòd aliqua res ordinetur legitimè à Capitulo Generali obſeruanda à tota Congregatione, & quia vt ſupra probatum eſt, Capitulum Generale poteſt mutare aliquas Conſtitutiones, iſtæ dicuntur quidem mutatæ materialiter, non verò formaliter, quia ſemper ſunt ordinatæ legitimè à Capitulo Generali.

Ad rem doctiſſimus Bordonus de Profeſſ. Regular. *cap.* 1. *num.* 211. Quando plures Ordines inter ſè eſſentialiter diuerſi militant ſub eàdem Regula, diuerſitas accipienda eſt *à Profeſſione Regulæ per Conſtitutiones limitatè ſub talibus Superioribus &c.* ſemper igitur Conſtitutiones noſtræ de anno 1595. remanſerunt, & remanent in ſua identitate morali formali, vndè ſemper fuerunt, & ſunt approbatæ per Breue Clementis Octaui, quod ſicut irritat ea quæ non fuerint ordinata legitimè, ità approbat per conſequens ea, quæ legitimè ſtatuta fuerint modo ſcilicet à Conſtitutionibus præſcripto; Contrariorum ſiquidem eſt par ratio &c.

Exemplo domeſtico confirmatur hoc totum. Vrbanus Octauus per Breue incipiens *Ad vberes &c.* Datum vt ſupra, Congregationem Fulienſem in duas diuiſit, nempè in Fulienſem,& noſtram, abſque vlla variatione, & diuerſitate Conſtitutionum, ſed tantummodò

 aſſi-

aſſignando Monaſteria propria, vtrique Congregationi, & diuerſos Superiores. Ecce quomodo diuerſitas Superiorum, quorum omnium Caput eſt Capitulum Generale formaliter diuerſificat Congregationes quamuis eædem ſint materialiter Conſtitutiones.

Quâ vltima doctrina corruunt omnia fundamenta alterius obiectionis, aliàs factæ à Chamberienſibus, videlicet *quod ratio vltimò diſtinctiua noſtræ Congregationis ab omni alia Congregatione vtpote conſtitutiua eſt illi eſſentialis, Conſtitutiones autem ſunt illæ, quæ Congregationem noſtram conſtituunt in eſſe talis, eamque vltimo diſtinguunt à qualibet alia Congregatione militante ſub Regula S. Benedicti, & per conſequens ſunt illi eſſentiales &c.*

Ex hactenus dictis conſtat quod Profeſſiones ab anno 1667. ſint validæ, & firmæ, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium deductis, quoad illam partem quod Conſtitutiones, quas profeſſi ſumus, corrigibiles erant, & emendabiles, vt prætendebat pars ex aduerſo.

Reſtat igitur vendicare Conſtitutiones, quas profeſſi ſumus à nota altera, quam illis obijciunt Chamberienſes, quod eædem contineant multa contra *Sacros Canones, Concilium Tridentinum, Decreta Apoſtolica, & contra Regulam*, ac proinde vendicare Profeſſiones ab anno 1667. factas iuxta, & ſecundum Conſtitutiones eodem anno editas, quæ prætenduntur ab Opponentibus eſſe nullius valoris etiam tot ex capitibus, & abſurdis &c.

Vt autem maturiùs, & clarius ad euidentiam vſq; contrarium oſtendamus opere pretium ducimus nonnulla præmonere quæ tanquam baſes, & fundamenta ad tantarum Cenſurarum molem euertendam, ad noſtras leges, & Profeſſiones defendendas magis, magiſque confirmandas, cæteraque monſtra, ſiue illationes, & propoſitiones, atque cenſuras falſas aduerſantium eneruandas, quin etiam eliminandas, & eradendas.

Primò. Igitur notandum eſt quod noſtræ Conſtitutiones editæ anno 1595. approbatæ fuere à Clemente Papa Octauo fel. rec. tanquam non repugnantes Sac. Canonibus, Concilio Tridentino, & Sanctæ Regulæ, vt patet ex ipſo Breui iiſdem Conſtitutionibus inſerto *pag.* 233. ſupplendo omnes, & ſingulos tam Iuris, quàm Facti, ac Solemnitatum quarumcumq. defectus ſi qui interuenerint, aut interueniſſe dici poſſint in iiſdem.

Secundò. Quòd illa, quæ vigore Priuilegiorum, aut alia quæcumque, Sanctæ Sedis, aut Sac. Congregationis facultate ſancita ſunt non debere reputari contraria Sacris Canonibus, Concilijs &c.

Ter-

Tertio. Quod tritum eſt Regulam Sancti Patris Noſtri Benedicti, quam profitemur poſſe interpretari, declarari, & moderari, ac diſpenſari in his tamen, quæ non ſunt circa ſubſtantialia Votorũ, iuxta Sũmmorum Pontificum Indulta, & Priuilegia quamplurima facta Monachis Caſſinenſibus, Claſſenſibus, Ciſtercienſibus, alijſque ferè omnibus Monaſticis Ordinibus, & Congregationibus ſub eadem Regula militantibus.

Quarto. Quod Conſtitutiones, quæ vt infra, citandæ erunt, aliarum Monaſticarum Congregationum, ſiue alterius Religionis, non ſunt relaxatæ, ſed conditæ, vel paulo poſt Concilium Tridentinum, vel de mandato Sanctæ Sedis, vel ab eadem confirmatæ pro Reformatione Ordinum, Congregationum, vel alterius Religionis.

Quinto. Quod Conſtitutiones, vel leges, quæ fiunt præter, aut infrà Canones, Concilium Tridentinum, Decreta Apoſtolica, aut Regulam præfatam, non debent notari tamquam facta contra Canones, Concilia &c iuxta Caput *Cùm Apoſtoli &c.* quià leges aliquæ fiunt & dicuntur diuerſæ, ſed non aduerſæ.

Sexto, & vltimo. Notandum quoque eſt nos non emittere Profeſſionem de ſeruandis Regula, & Conſtitutionibus ad litteram, ſed iuxta Regulam, & Conſtitutiones, vt clarè patet ex formula noſtræ Profeſſionis contenta in ijſdem Conſtitutionibus *cap.* 58. *num.* 26. *pag.* 255.

R E G V L A

Sanctiſsimi Patris Noſtri Benedicti Abbatis.

Cum Conſtitutionibus, & Declarationibus Congregationis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Ciſtercienſis.

Auctoritate Capituli Generalis anni 1667. recognitis, & emendatis.

Cenſura nonnullorum Monachorum Chamberienſium.

C E N S V R A I.

Ly *auctoritate Capituli Generalis* 1667. recognitis, & emendatis, non eſt ponendum, quia ſi ly emendatis refertur ad Conſtitutiones antiquas, quæ erant à Sancta Sede approbatæ, has Capitulum Generale emendare non poterat ob reuerentiam Summi Pontificis.

Titulus non obſtat, quia Capitulum Generale de anno 1667. celebratum, ſicut & alia Generalia Comitia, ſummam vt par eſt, reuerentiam habuere erga Sanctam Sedem, & Sacram Congregationem, quorum Breuibus, & reſpectiuè ſanctionibus, ſeù Decretis ſemper, vt legibus obtemperatum fuit. Verùm ly *auctoritate* Capituli Generalis 1667. recognitis, & emendatis, nullam ſapit irreuerentiam erga præfatam Sedem, cùm Summus Pontifex in Breui Conſtitutionibus antiquis, & nouis inſerto vt ſupra Generali Capitulo facultatem conceſſerit Conſtitutiones à ſe approbatas, abrogandi, reſcindendi, alterandi &c. debito tamen, & præſcripto modo, vt fuſiùs ibidem, ipſique Patres Capitulares, qui huiuſmodi Breue anno 1595. impetrauerant, Generalibus in Comitijs anno 1598. nobis corrigendi prædictas Conſtitutiones exemplum præbuere, vtpotè, qui in dicto Capitulo pænas quodammodo ſatis duras, & importabiles ſtatutas ab iiſdem Conſtitutionibus confirmatis &c. vndequaque prudenter correxerunt, ſicuti, & alia, prout conſtat in *Actis lib. Q. A. pag. 199. & 202.*

Incipit Regula Sanctiſſimi Patris Benedicti.

De generibus, vel Vita Monachorum. Cap. I.

„ Numerus ſextus Conſtitutionum Capitis Primi pag. 20.
„ Quartum verò genus &c. Ad quarti generis Monachorum, qui
„ Gyrouagi dicuntur, diram peſtem ab hac Congregatione auer-
„ tendam, decernimus, vt in quo quiſque Monaſterio collocatus
„ eſt in eo conſtanter, quieteque permaneat, niſi Abbati Generali,
„ aut Prouinciali, Conſultores ſuos reſpectiuè in Conſilium adhi-
„ bentibus, aliter videatur. Caueant autem Abbas Generalis, &
„ & Prouinciales ipſi ne Monachum aliquem, vel Fratrem mutent,
„ de loco ad locum, vel de Prouincia ad Prouinciam reſpectiuè
„ niſi ille per annum ſaltem in Monaſterio commoratus fuerit:
„ Quod ſi aliquando vrgeat neceſſitas, ſolus Abbas Generalis poſ-
„ ſit hanc mutationem facere, & de conſenſu ſui Conſilij.

C E N S V R A II. &c.

Huiuſmodi Gyrouagationes propriæ ſunt Capuccinorum, non verò Monachorum, maximè Ciſtercienſium, qui habent ſuas affiliationes, & ſunt contra Regulam noſtram dicentem *Cap. 66. Omninò non*

ex-

expedire animabus noſtris &c. Diſſipantur vtique ſpiritus per has frequentes mutationes, & depauperantur Monaſteria.

RESPONSIO II.

Falsò ſupponuntur frequentes gyrouagationes more Capuccinorum, quæ nec fiunt, nec permittuntur, niſi iuſtis de cauſis, & vtplurimùm de Triennio in Triennium, iuxtà alias Congregationes Monaſticas, quod ſi caſus occurrat infra Triennium, aliquem de loco ad locum mutare, fit tantum, & conſulitur commodo Monaſteriorum, vel incolumitati Monachorum, & Fratrum; Quod quidem etiam practicatur à Caſſinenſibus, Ciſtercienſibus, alijſque Congregationibus Monaſticis, & quod fit quandòque, & raro, ob beneficium publicum, & priuatum, fieri contra diſcretiſſimum Legislatorem dicere, temerarium eſt, & irrationabile prorſus.

Præterquamquod de tempore Diui Benedicti vnumquodque Monaſterium regebatur de per ſe, & non erat neceſſe facere huiuſmodi mutationes, ad occurrendam, & ſtabiliendam familiam aliorum Monaſteriorum, vt modò fieri neceſſe eſt cùm viuamus in Congregatione, & vnione cum alijs Monaſterijs eiuſdem Congregationis. Vltra quam quod falſum eſt, vt videre eſt in Regula quod Monachi nunquam egrediebantur de Monaſterio.

Numerus quintus Capitis ſecundi pag. 30.

„ Atque vt omnia in Congregatione meliùs cognoſcere, emendare, „ & conſtituere poſſit, ipſe vel per ſe, vel per Viſitatores ſemel in „ in Triennio omnia Congregationis Monaſteria obeat, & luſtret, „ vno Aſſiſtentium, alterius ſcilicet Prouinciæ, niſi graue aliquod „ impedimentum obſtet, & Secretario ſimul, cum altero vel Con„ uerſorum, vel Donatorum adiunctis Comitibus.

CENSVRA III &c.

Iſte numerus quintus eſt contra *Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. de Regul. cap. 20.* debet tolli Conuerſus, vel Donatus, quia videtur eſſe contra idem Concilium *ſeſſ. 24. cap. 3.* Ly caueant ne inutilibus ſumptibus cuiquam graues, oneroſiue ſint; Iſte autem Conuerſus, vel Donatus tum pro Viatico, tum pro Victu grauat Monaſteria inutiliter.

Numerus quintus &c. non ſolum non eſt Concilio Tridentino contrarius, immò mirificè fauet; Concilium enim loco citato dicit; *Abbates, qui ſunt Ordinum Capita &c. Monaſteria, & Prioratus ſuo quiſque loco, & Ordine ex officio viſitent &c.* Huiuſmodi Decreto obtemperant Abbates Generales noſtri per ſe; & quando minus poſſunt per Viſitatores Generales vel Delegatos; & ſic, qui per alios facit per ſeipſum facere videtur: Fauet, vt diximus, Concilio, aliàs quando Abbates huiuſmodi eſſent legitimè Impediti, non fieret ſatis menti Concilij, quæ eſt vt viſitentur Monaſteria, vt ſit ſaltem per Viſitatores, aut Delegatos Generales, & hic numerus eſt conformis *ſeſſioni 24. cap. 3. eiuſdem Concilij*, incip. *Patriarcha, Primates, Metropolitani, & Epiſcopi propriam Diæceſim per ſeipſos, aut ſi legitimè impediti fuerint, per ſuum Generalem Vicarium, aut Viſitatorem viſitare non prætermittant*; Quo probatur non eſſe de neceſſitate quod Monaſteria viſitentur ab Abbate Generali per ſe, perſonaliter, rationabili cauſa interueniente &c.

Quod autem Abbas Generalis in ſua Viſitatione præter Aſſiſtentem, & Secretarium, *Conuerſum, aut Donatum habeat Comitem*, non videatur contra Concilium, immo iuxta Concilium Tridentinum probatur, quia ſicuti Sancta Synodus loco citato monitos voluit Prælatos viſitantes, *ne inutilibus ſumptibus cuiquam ſint graues* non eſt cenſenda quod ipſa prohibeat iiſdem neceſſaria ad decorem, & commodum huiuſmodi itinerantium, cùm priùs dixerit ibidem, quod viſitent *modeſto contenti Equitatu, famulatuque*: Ecquis nam modeſtior Equitatus, & famulatus, quàm Generalium noſtrorum, qui viſitant vna cum Aſſiſtente, & Secretario de Iure (qui vtique non ſunt habendi vt famuli) quod ſi Concilium famulatum concedit, modeſtum tamen, nonne modeſtus eſt famulatus vnius Conuerſi, ſeu Donati? Legant, deprecamur, Opponentes, Caſſinenſium, Camaldulenſium, Vallis Vmbroſæ, Montis Oliueti, aliorumque Monaſticorum Ordinum, & Congregationum Conſtitutiones & præcipuè Noſtri Ordinis Priuilegia, illoſque puduiſſe hæc de noſtri Abbatis Generalis in ſua Viſitatione ſimpliciſſimo, & modeſtiſſimo famulatu proferre, non diffitemur.

Numerus vigeſimus prædicti Capitis &c. pag. 35.

» Si Abbas Generalis ante tempus celebrandi Capituli exceſſerit è
» vita, aut exercendo Officio ſuo quauis ratione inhabilis factus
» fuerit; Siquidem id ante biennium à Capitulo celebrato euene-

„ rit, conuocetur ſtatim Capitulum, & alius eligatur. ſi verò poſt
„ biennium expectetur tempus legitimum celebrandi Capituli, &
„ defuncti, aut inhabilis Viri partes interea ſuſcipiat Senior Aſsi-
„ ſtens eiuſdem Prouinciæ vſque ad proximum Capitulum &c.

CENSVRA IV.

Decretum contra hunc numerum confirmatum 1684. nimis latè patet, cum ex eo ſequatur, quod ſi Abbas Generalis moreretur ante dimiſſum Capitulum Generale, alius non eſſet eligendus, ſed Aſſiſtens eius Prouinciæ foret ſtatim Vicarius Generalis.

RESPONSIO IV.

Caſus vtique accidere poteſt, quod in ipſo Capitulo decedat Abbas Generalis electus; Verùm non per hoc ſequitur quod ſuccedat Aſsiſtens ſecundus, ſeu illius Prouinciæ ſub nomine Vicarij Generalis, itaut non deueniatur ad electionem alterius, cum clarè cautum ſit, & intelligatur tunc per Aſſiſtentem ſecundum regendam eſſe Congregationem, loco Abbatis Generalis demortui, vel inhabilis &c., extra Capitulum, & infra Triennium, vt præcisè ex Decreto confirmato correctiuo prædicti numeri 20. ſcilicet *ſtatutum eſt quod Officium Abbatis Generalis vſque ad legitimum tempus celebrandi Capituli Aſſiſtens illius Prouinciæ Congregationem regat ſub nomine Vicarij Generalis &c.* Euidens eſt ſi caſus eueniret, quod denuò eligendus eſt Abbas Generalis, cum Decretum intelligatur poſt Capitulum, & non quando Capitulum non eſt dimiſſum, ſed eſt in ſuo robore, penès *quod eſt ſumma poteſtas &c.* prout in in Conſtitutionibus *pag.* 311. Præterquamquod recurrendum eſſet ad finem propter quem correcta fuit prædicta Conſtitutio contenta in *num.* 20. memorato, ſcilicet *ne Congregatio grauaretur* alterius immaturæ conuocationis ad Generalia Comitia, expenſis, & incommodis &c.

Inſuper ſi aliquis adhuc in caſu adeſſet obſcuritatis locus circa præſentem quæſtionem, Capitulum Generale ipſummet non dimiſſum, penès quod directè & principaliter reſidet facultas, dubia quæque Conſtitutionum declarandi &c. *ſolueret controuerſiam.*

Numerus vigeſimus primus eiuſdem Capitis pag. 36.

„ Volumus autem vt ij, qui Generalatus Officio functi ſunt, ſubiecti
„ Prioribus remanentes toto eo tempore, quo à Superioritatibus
„ vacabunt, titulo Abbatis cum præcedentia ſupra etiam Supprio-

» priores, (niſi quando abſente Priore, Officio Prioris funguntur)
» gaudeant, & fruantur, cum Officiorum, quæ vel per Hebdoma-
» dam, vel aliter committuntur, & à Capitulo culparum exemptio-
» ne. Quod ſi aliquis eorum admonendus erit, Prior priuatim, ac
» debita reuerentia, eum corrigat. Præfato tamen Abbatis titulo,
» ac præeminentia, ius huiuſmodi Abbates nullum ad Capitulum
» Generale accedendi, niſi aliter eligantur, acquiſitum habeant,
» nec duo eorum hoc pacto priuilegiatorum in eodem Monaſterio
» commorentur.

C E N S V R A V.

Numerus hic vigeſimus primus. Volumus autem &c. omninò delendus eſt, quia eſt contra *Conc. Trident. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 1.* Aduerſatur etiam Decretis Saeræ Congregationis pro nobis editis, quæ ſunt in fine Voluminis Conſtitutionum: Tum eſt contra multa in Regula, & Sauctus Pater Bernardus contra hæc inuehitur *Epiſt. 142. ad Monachos Alpenſes*. Capitulum Generale, vt faciat duos Abbates titulares fundatur in Bulla Gregorij XIII. ſed vnde naſcatur quod alios Abbates faciat, & eoſdem eximat, vt in præfato, Volumus, non inuenitur. Datur per hoc *Volumus* motiuum ambiendi, vt habeantur exemptiones, quæ laxant Votum Obedientiæ, quæ non poſſunt eſſe obiectum Profeſſionis. Nec ſecundum dictum Caput Concilij Tridentini poteſt Capitulum Generale Priuilegia, quæ ſunt laxationes, concedere.

R E S P O N S I O V.

Communiſſima, & concors Doctorum opinio eſt Prælatos, & à fortiori Capitulum Generale, vt inter alios noſter *Bartholomæus à Sancto Fauſto quæſt.* 129. de Voto Obedientiæ poſſe diſpenſare in omnibus obſeruantijs, & præceptis Regularibus, exceptis tribus Votis, quod etiam annuunt patenter Canones in contrarium adducti, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, prout colligitur ex ipſomet *Conc. Trident. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 1.* vbi habetur quod Superiores non poſſunt, quæ ad ſubſtantiam Regularis vitæ pertinent, relaxare, ergo omnia, quæ non ſunt de ſubſtantia Regularis vitæ, ſecundum mentem Concilij, poſſunt rationabili de cauſa à Prælatis, & multò magis à Capitulo Generali diſpenſari. Et vt deſcendamus ad caſum noſtrum, dicimus quod noſtri Ciſtercienſes Italiæ in *capite 42. Conſtitutionum pag.* 42. Seniores

res

res quicumque, idest ad ſummum attingentes quinquageſimum octauum annum *eximuntur* ab obſeruantijs: ſcilicet *ab onere ſurgendi ad vigilias, ab omnibus hebdomadibus; præterquam Miſſarum & in cæteris omnibus eorum imbecillitatis ratio habetur, & omninò ijdem ad normam Sanctæ Regulæ* cap. 37. *Miſericorditer tractantur*. Et Clemens Papa Octauus Conſtitutione incipien. *Ex iniuncto &c.* inſerta Priuilegiis Ordinis noſtri Ciſtercienſis *pag. 380. loquens de diſpenſationibus num.14.* ait: *Si tamen alias neceſſarium uiſum fuerit diſpenſare ad longum tempus, ſeù in perpetuum cum aliquo in Choro, vel alijs obſeruantijs Ordinis, prædicta diſpenſatio non poſſit fieri ab Abbatibus in ſuis Monaſterijs, immò nec ab ipſo Generali Reformatore, ſed hoc pertineat ad Patres Definitores Capituli Generalis.* Ex quibus clarè conſtat Capitulum Generale de anno 1667. rationabiliter potuiſſe abſque læſione Canonum, & Conciliorum diſpenſare *Exgenerales* in prędictis in num. *Volumus &c.* & ſignãter cum reſtrictiua (quod notandum eſt) *quamdiu vacabunt &c.* & vt plurimum his Priuilegiis gaudent ſexagenario, vel ſeptuagenario maiores. Quod autem eiuſmodi Exgeneralibus Capitulum conceſſerit prærogatiuas, hoc etiam, ne exeamus à domeſticis parietibus, didicit à pijſsimo, & ſapientiſſimo Generalis Capituli Ordinis noſtri Ciſtercien. Decreto emanato anno 1260., vt in Nomaſticon Ciſtercien. *pag. 336. &c.* quo ſtatuitur, & ordinatur *vt Abbatibus cedentibus honor, & humanitas exhibeatur ab omnibus, ita ſaltem quod à Septimanario Miſſarum, lectione Menſæ, à Coquinæ ſeruitio, ab Orationibus Horarum Canonicarum, & à communi labore ſint penitus abſoluti, & cum voluerint, ſigno facto Priori, liceat eis in Infirmitario acquieſcere quamdiu eis videbitur expedire, vbi in loco aliquantulũ honeſtiori honorificè prouideatur eis.*

Ex dictis etiam patet quod dicta Priuilegia non ſunt nec contra præſcriptum Decretorum Sac. Congregationis in fine voluminis Conſtitutionum, nec contra epiſtolam 141. citatam Primo quia Sacra Congregatio pag. 399. loquens de Nouitijs dicit: *Et ſi admittendus ad Profeſſionem cenſeatur, admittatur, ſub exacta tamen vita communi, ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum prædictæ Congregationis quauis laxiori conſuetudine, ſeu potius corruptela non obſtante, ſeruataque forma Sacrorum Canonum, Concilij Tridentini, & Conſtitutionum Apoſtolicarum;* & pag. 400. loquens de familia Nouitiatuum. *Nec in eis collocentur niſi Religioſi graues, deuoti, exemplares, & regularis obſeruantiæ ac puritatis regulæ ſtudioſi;* præcipuè *verò caueatur ne ibi ponatur aliquis, qui non conſentiat ſeruare uitam communem, quæ in prædictis Monaſterijs ad Regulæ, & prædictæ Congregationis Conſtitutionũ præſcriptum exactè*

ob-

obſeruetur; & Diuus Bernardus loco cit. dicit: *Ordo noſter eſt ſtudere ſilentio, exercere ieiunijs, uigilijs, Orationibus, opere manuum; & ſuper omnia excellentiorem uiam tenere, quæ eſt Charitas. Porrò in his omnibus proficere de die in diem, & in ipſis perſeuerare uſque ad ultimum diem.*

Sapientibus relinquimus decidere an præfata Concilia, Decreta, & Epiſtolæ melliflui Doctoris, ſint contra numerū primo dictum, cùm nec Decreta huiuſmodi, nec S. Pater Bernardus prohibeant Capitulis Generalibus diſpenſare rationabiliter in quibuſdam obſeruantijs regularibus accidentarijs, cū Exgeneralibus, qui, vt plurimum, vt diximus, ijs Priuilegijs dumtaxat fruuntur ſexagenario, vel ſeptuagenario maiores, cum quibus Sanctus Pater legislator in pluribus diſpenſat, & diſpenſandam præcipit, prout cap. 37. de Senibus vel Infantibus, quod adducere non piget vt ſequitur.

Licet ipſa natura humana trahatur ad miſericordiam in his ætatibus, Senum uidelicet, & Infantum, tamen & Regulæ auctoritas eis proſpiciat; Conſideretur ſemper in eis imbecillitas, & nullatenus eis diſtrictio Regulæ teneatur &c.

Vnde ergo huiuſmodi Priuilegia ſunt contra multa in Regula, quando legislator ipſe his, vt mox demonſtrauimus, tàm benignum, & prorſus paternum ediderit Canonem, & clementiſſimam methodum?

Ad id autem quod Exgeneralibus opponitur, ſcilicet quod etiam cum prærogatiuis in præfato numero Volumus, contentis, ijſdem ſimul collatus fuerit titulus Abbatialis Reſpondetur notandum eſſe cum Aſcanio Tamburino de Iure Abbatum diſput. 3. quæſi primo *Quadrupliciter in Congregationibus Monaſticis adeſſe Abbates, nempè Capita Ordinum, ſiue Abbates Generales, Abbates locales, & Abbates Titulares, quibus accedunt, & alij Abbates, qui Abbatiam renunciarunt, & hi nullam dignitatem obtinent, nec Pontificalibus Inſignijs utuntur, ſed tantum ad honorem quemdam Pàtres Abbates appellantur.*

Notandum eſt quoque, quòd Conſtitutiones noſtrorū Monachorum Ciſtercienſium cap. 26. pag. 32. de Abbatibus, qui renunciant, cæteriſque Titularibus, ita loquuntur:

Abbatibus emeritis, qui ex legitima cauſa renunciauerint dignitati, liceat honoris gratia Abbatis nomine uocari, quod maluerint Monaſterium pro habitatione, tempore renunciationis habere Conuerſum ad ſeruitia ſibi deputatū &c. & huiuſmodi Abbates uocati emeriti ſunt diuerſi a localibus, & Titularibus, prout clarè conſtat ex eodem Capite citatò &c.

Huiuſce quarti generis ſunt Abbates quamdiu vacabunt inter nos,

qui

qui Generalatus munere functi ſunt, & adeò ſtrictè, & ſubiecti, non minus ac alij Monachi, Superioribus localibus, tenentur toties quoties licentiam petere in omnibus, & per omnia; & benedictionem accipere, & alias obſeruantias adimplere his dumtaxat exceptis, quæ recenſentur in prædicto numero *Volumus*, nec votum habent in Comitijs Generalibus. Hos Abbates poſſe creari à Generali Capitulo vſque adeò, nec vetitū eſt à Sacris Concilijs, nec à S. Sede, & in vſu ſunt apud Canonicos Lateranenſes, Caſſinenſes, Vallumbroſanos, Ciſtercienſes, aliaſque Congregationes, maioribus vtique Priuilegijs, & prerogatiuis gaudentes, quam in noſtra Congregatione vt videre eſt in Conſtitutionibus Lateranenſium, vbi Abbates huiuſmodi habent votum in Capitulo Generali, & immediate ſubduntur tantummodò Abbati Generali.

Præterquam quod ſi in gratiam gulæ Opponentes dixère poſt numerum quartum capitis 39. quod ſpecies aromaticæ non prohibentur à Regula, vnde de his non fit lex, ſed relinquitur arbitrio Superiorum &c. ergò cum Regula non prohibeat huiuſmodi quarti generis Abbates, ſecundum eorum doctrinam, relinquuntur arbitrio Superiorum. Ergo Capitulum Generale in gratiam tantorum hominum, nempè illorum, qui Patres extitère Congregationis, potuit inſtituère ob honorem, Titulum controuerſum Abbatis quarti generis, ſeù emeriti vocandi, & prout in prædicto num. *Volumus*.

De Superioribus ſingulorum Monaſteriorum pag. 46.

Numerus primus. Superiores ſingulorum Monaſteriorum in Capitulo Generali eligantur modo præſcripto, Officiumq; ſuum obtineant uſque ad alterum Capitulum.

CENSVRA VI.

Numerus primus prout iacet in impreſſis Conſtitutionibus eſt contra Caput 64. Regulæ, contra Can. Abbatem, & Can. Quam ſit. 18. 9. & a[illegible]

RESPONSIO VI.

Quamuis de Iure antiquo, & communi, vt ait Tamburinus *de Iure Abbat. diſp. 5. quæſt. prima* electio prælatorum Regularium ſpectaret ad vniuſcuiuſque Monaſterij reſpectiue Monachos, hodie nihilominus Abbates locales apud Monaſticas, & etiam Canonicorum Regularium Congregationes fere omnes non amplius à Religio-

ſis

ſis illius Conuentus, cui præficiendus eſt Prælatus, ſed per ſuffragia Generalium, vel Prouincialium, & ſuorum Definitorum eliguntur, vt patet ex vſu, & videre eſt ex ſpecialibus ipſarum Congregationum Conſtitutionibus, & Summorum Pontificum Priuilegijs, quæ correctiua ſunt Iuris communis &c.

Præterquam quod ſpeciali mandato ac Priuilegio Clementis Papæ Octaui fruimur, quo omnes Superiores in Capitulo Generali eliguntur, prout in Conſtitutionibus editis 1595. pag. 228. & in libro Q. A. pag. 3. & 11. &c.

Gratis ergo obloquuntur Opponentes, & abs re producunt in contrarium tot Canones, & Caput 64. Regulæ.

Numerus quartus eiuſdem Capitis pag. 49.

Nullus in Abbatem, uel Priorem, aut Superiorem Monaſterij eligatur, qui ſaltem decem Profeſſionis annos, & ætatis triginta non habuerit.

CENSVRA VII.

Prædictus numerus quartus delendus eſt, quia eſt contra Regulam cap. 64. vbi dicitur; etiamſi vltimus fuerit in Ordine Congregationis; & Concilium Tridentinum annum 25. tantum requirit.

RESPONSIO VII.

Textus Regulæ adductus ex pluribus non militat contra numerum quartum, eo quia per ly *etiamſi ultimus fuerit &c.* non declaratur quamnam ætatem habere debeat eligendus, ac proindè relinquitur locus interpretationi, quemadmodum interpretatum habent huiuſmodi textum omnes Congregationes militantes ſub eâdem Regula, vt videre eſt in earum Conſtitutionibus, in quibus maior etiam ætas in eligendis, quàm in noſtris ſtatutis, requiritur. Secundo quia Sancta Sedes approbando Conſtitutiones, & dando facultatem eaſdem mutandi, abrogandi &c. in hoc, ſi forte eſſet contra Regulam, derogaretur auctoritate Apoſtolica. Tertio eo quia electio, vt dictum eſt, non amplius fit à Monachis prout Regula innuit, ideòque conceſſo principali, conceditur acceſſorium, ſcilicet facultas ſtatuendi ætatem in eligendis. Quarto eo quia non fit electio proprij Prælati à Monachis Monaſterij, cui præficiendus eſt Prælatus, conſultius ſancitum fuit eligendos in Prælatos Monaſteriorum, quæ fortè nec anteà viderunt, vt ætate matura ſuppleatur id, quod deſinit inhabitatio, aut longa mora, prout fiebat de tempore Diui Benedicti, quando ſcilicet vnumquodque Monaſterium regebatur de per ſe, & nullam habebat dependentiam, ſeu communicationem.

Quod

Digitized by Google

Quod autẽ Conciliũ Tridentinũ citatũ annuat poſſe eligi ad Prælaturas habentes ætatem viginti quinq; annorum concedimus; Nam quid infertur per hoc? forſan Concilium irritat electiones factas in maiori ætate! Abſit obijcere; Si ergo, non damnat; ad quid notare ſtatuta Congregationis noſtræ, & citare Concilia, quæ potius fauent electionibus factis in ætate maiori vigintiquinque annorum, licet poſſit ſubſiſtere facta, & facienda in ætate minori, ſcilicet vigintiquinq; annorum: Pudet Doctores adducere ad confirmationem noſtræ Sententiæ, cum ſit meridiana luce clarius hactenus demonſtratum, & dictum.

Caput Quartum pag. 56.

„ Numerus primus. Abnegare ſemetipſum ſibi &c. Ad hanc San-
„ ctiſſimam abnegationem comparandam multum conferet vnicui-
„ que, ſi ad viliora quæque, humilioraque Officia ſtudiosè ſe de-
„ mittat, eaſque res potiſſimum amplectatur, quas naturæ imbecil-
„ litas, aut propter aſperitatem, aut propter ignominiam magis re-
„ fugit, ſi tamen *ad ea Superioris iuſſu uocatus fuerit*.

CENSVRA VIII.

Numerus hic præcitatus, poteſt tolli, quia poſſunt fieri Actus humilitatis ſine iuſſu Superioris;

RESPONSIO VIII.

Cenſura facta ad primum numerum Capitis IV. de his quæ ſunt Inſtrumenta bonorum operum &c. Sapit imperfectionem, cùm ly *ſi tamen ad eas Superioris iuſſu uocatus fuerit*, clarè intelligatur de rebus externis, quæ licet per ſe Sanctæ ſint, & commendatæ illas ſequi aut exequi abſque iuſſu, aut ſine permiſſu Superioris eſſet agere contra plura capita Regulæ, & in primis contra ſeptimum, quo inter alia patenter dicitur, *quod nihil agat Monachus, niſi quod communis Monaſterij Regula, uel maiorum cohortantur exempla, & quod cogitationes etiam malas cordi ſuo aduenientes, per humilem Confeſſionem, ſeu manifeſtationem Abbati non celet ſuo -- & quod Voluntas propria habet pænam, & neceſſitas parit Coronam*:

Eſſet ſignanter contra quadrageſimum nonum Regulæ Caput, quo præcisè cauetur, vt *Quadrageſima diebus augeant ſibi Monachi aliquid ad ſolitam penſum ſeruitutis noſtræ, Orationes videlicet peculiares, ciborum, & potus abſtinentiam &c.* Hoc ipſum tamen, quod

vnuſ-

vnuſquiſque offert, Abbati ſuo ſuggerat, & cum eius fiat oratione, & voluntate, quia (notent Chamberienſes) *quod ſine Patris Spiritualis fit permiſſione, præſumptioni deputabitur, & vana gloria, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia agenda ſunt.* Ergo eas res, de quibus in præfato numero primo &c. *faciat, & exequatur Monachus, ſi ad eas Superioris iuſſu vocatus fuerit*, nec eas temerè ex ſe ſolo, & propria voluntate faciat, vel exequatur, quia quod ſine permiſſione Patris Spiritualis fit, præſumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi &c. Ergo ly, *Si tamen ad eas vocatus fuerit*, non poteſt, nec debet tolli, vtpote ad mentem Sanctiſs. Legislatoris, & licèt poſſint fieri (vt inquiunt Opponentes) *actus humilitatis ſine iuſſu Superioris*, quod ſiquidem concedimus, verùm, vt ſupra demonſtratum eſt, *huiuſmodi actus* reputabuntur vanæ gloriæ, & non mercedi, & erunt *actus proprietarij, & non Monachi*, penès quem non debet eſſe *voluntas propria*, iuxta plura Capita Regulæ &c.

Numerus ſextus. *Orationi frequenter incumbere &c.*

„Omni tempore Meditatio matutina per dimidiæ horæ ſpatiū poſt „ Officium noctis fiat, Veſperi autem toto anno tantumdem temporis eidem Meditationi poſt Completorium impendatur, excepto „ tempore Veris, id eſt, à Paſchate vſque ad Ieiunia Regularia, quo „ Meditatio ſerotina fit immediatè poſt Veſperas, iuxta mandatum „ SS. D. N. D. Innocentij Papæ XI. factum Patribus Capitularibus „ in Generalibus Comitijs congregatis anno 1684. per Eminentiſs. „ S.R.E. Cardinalem Alexandrum Creſcentium clar. memor. apud „ eumdem Pontificem., & Sanctam Sedem noſtræ Congregationis „ Protectorem.

C E N S V R A IX.

Mirum quoties mutatur hora Meditationis Veſpertinæ, quæ poſt Completorium ſemper fieri deberet, cum illud tempus ſit màgis aptum Orationi, & Recollectioni, & quaſi nihil temporis ſupereſt à Veſperis ad horam cœnæ in æſtate, intentio S. Patris Benedicti eſt, fiat poſt Completorium, vt in ſuis *Ordinationibus* videtur.

R E S P O N S I O IX.

Miramur & nos, quod neſciant Opponentes, quomodo, & qua auctoritate, Pontificia videlicet, ſit mutata Meditatio à Paſchate vſque ad Ieiunia Regularia facienda immediatè poſt Veſperas, quæ toto anno fiebat immediatè poſt Completorium; hoc eſt ſe-

mihora

mihora circiter poſt cœnam, & tranſlata poſt Veſperas prædicto tempore, hoc eſt ante refectionem. Huiuſmodi mutatio quanta ſit diſcretionis, & charitatis ſapore condita, relinquitur prudentibus, & ſapientibus &c, qui generaliter loquendo optimè norunt, quod fœliciùs, ſanctiùs & ſalubriùs quilibet inhæret Meditationibus, & mentis recollectioni antea, quàm poſt refectionem ferè immediatam.

Miramur etiam, quod tam docti Patres adſcribant *Ordinationes vitatas* Sanctiſs. Legiſlatori noſtro Benedicto, & conſequenter *Benedictum faciant contrarium ipſimet Benedicto*. Conceſſimus illas Ordinationes eſſe alicuius boni Viri, ſed nunquam Diui Benedicti, aliter eſſet ſibi contrarius in cap. *de Menſa Abbatis*, num. 56. & in alio cap. num. 42 *Vt poſt Completorium nemo loquatur*. Primò quia Menſam Abbatis eſſe dicit cum Hoſpitibus, & Ordinationes huiuſmodi communem cum Monachis iniungunt. Secundò, quia Legiſlator æſtiuo tempore quando cœnatur, non vult, vt ante Completorium legantur libri Regum, & diſcretiſſimè, quia, inquit, *infirmis intellectibus non erit vtile illa horâ hanc Scripturam audire &c.* & quis ergo non aſſerat, à prudentiſſimo Magiſtro haudquaquam addictos fuiſſe tali hora, ſcilicet poſt cœnam Filios, & Fratres dilectiſſimos incumbere? &c. ab illo ſcilicet, qui, vt audiuimus, præcipit abſtinendum tempore huiuſmodi à lectione, & auditu librorum Regum; *particula illa planè dulci, & paterna: Quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc Scripturam audire &c.* Prætorquam quod Monachi Caſſinenſes, vt in Declarationibus cap. 52. Regulæ, à Paſcha vſque ad Exaltationem S. Crucis Meditationi incumbunt immediatè poſt Veſperas more Congregationis noſtræ. Camaldulen. Congreg. in cap. 20. circa tempus, & horam huiuſce quæſtionis arbitrio cuiuslibet relinquit. Cœleſtinorum Congregatio §. 8. cap. 1. Conſtitut. circa tempus, & locum Orationi inhærendæ Prælati iudicio demandat; quod idem ſtatuunt Cõſtitutiones Monachorum Montis Oliueti in explanatione cap. 20. S. Regulæ. Hinc eſt, quod neque D. Benedictus in Regula, vel prætenſis Ordinationibus aliquid inuiolabile circa tempus, & horam Orationis, ſeu Meditationis præſcribit, & quod prædictæ Ordinationes à Congregationibus militantibus ſub Regula eiuſdem S. Patris pro ſpurijs habentur.

CA-

CAPVT VI.

De Taciturnitate. pag.69.

Numerus ſecundus pag. 70. Vt conſtitutis locis, & temporibus ſi-
» lentij religio ſanctiùs ſeruetur, inuiolataque ſit, liceat Fratribus in
» his Locutorijs aliquod ex interuallis temporis, quibus abſunt à
» Choro, pio, & religioſo colloquio conſumere, aut etiam iucunda
» per Viridarium ambulatione animum relaxare, ſic tamen, vt cla-
» mor, & omnis petulantia procul abſit. His autem colloquijs ſem-
» per interſit Superior Monaſterij, vel aliquis Seniorum.

CENSVRA X.

Numerus ſecundus prædictus eſt contra Regulam dicentem: *Omni tempore ſilentio ſtudere debent Monachi &c.* Et *ſi loquamur poſt prandium à Paſcha ad Kalendas Octobris* eſt contra 48. caput Regulæ, ly: *Surgentes à menſa pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio &c.*

RESPONSIO X.

Verum eſt quod à Sanctiſs. Legislatore dictum ſit in cap.42.&c. *Omni tempore ſtudere debent ſilentio Monachi*, ſed non per hoc ſequitur, quod Monachi nullo tempore de licentia, & ad normam ſtatus Monaſtici poſſint loqui, aliter S. Regula non eſſet decorata nobiliſſimo illo titulo eidem collato in primis à S. Gregorio Magno, alijſque SS. Patribus, videlicet diſcretionis, titulo vndequaque perneceſſario Legislatoribus.

Ad confirmationem noſtræ Sententiæ meminiſſe deberent Chambelienſes, quod S. Pater in cap.49. pariformiter ijſdemmet ferè verbis, & ſtylo vſus ſit, ac in cap. 42. ibi enim dicit: *Licet omni tempore vita Monachi Quadrageſima debeat obſeruationem habere, tamen quia paucorum eſt iſta virtus, ideo ſuademus iſtis diebus Quadrageſima omni puritate vitam ſuam cuſtodire &c* Sic etiam intelligendus eſt locus cap. 42. adductus, cum addito, *Tamen quia paucorum eſt iſta virtus &c.* quæ verba vtique diſcretione ſunt plena, & admittunt rationabilem, & diſcretam diſpenſationem, prout in noſtris Conſtitutionibus numero prænotato, & Decretis confirmatis &c. Et hanc eamdem circumcirca facultatem loquendi aliæ quoque Monaſticæ Conſtitutiones ſuis concedunt Religioſis.

Ex dictis patet etiam reſponſio ad alterum obiectum nempe circa *ſilentium, incipiendum à prandio, & non à meridie*, vt ait Regula cap. 48. cum detur etiam locus interpretationi, quia ly: *poſt Sextam autem ſurgentes à menſa, pauſent in lectis ſuis cum omni ſilentio &c.* & ſic Regula non dicit, quod *ſtatim* pauſent, nec eſt credibile, quod S. Pater, vtpote diſcretiſſimus, & ſapientiſſimus, iniunxerit, vt ſtatim Monachi ſurgentes à menſa cubitum eant, quod vtique vt inſalubre & animæ, & corpori, præſertim adoleſcentibus, vetabat præſtantiſſimus Director, & Magiſter morum, retroacto ſæculo S. Philippus Nerius, prout in ſuis Monitis &c. Atque ideo veroſimile eſt per Sanctiſs. Legiſlatorem non præcipi hæc tam dura, vt volunt Opponentes, ſaluti corporis, & animæ inſalubria &c. & hæc diſcreta recreatio viget apud alias Monaſticas Congregationes &c.

Chamberienſes poſt num. 4. taxant num. 3. cap. 2. fol. 29. cuius tenor eſt' videlicet.

Curet vt in vnoquoque Monaſterio ſemel ſaltèm in anno ab omnibus perdecem dies fiant exercitia ſpiritualia; Superiores verò, qui id fieri neglexerint, grauiter ab Abbate Generali, vel Prouincialibus puniantur.

C E N S V R A XI.

Spiritualia exercitia non ponuntur ſub obligatione, ſed ad libitum, quia non ſunt imponenda onera ſatis oneratis. Quid enim eſt bona obſeruantia Regulæ, & Conſtitutionum, niſi continua exercitia ſpiritualia? Qui ad hæc teneri vult Reformatos, & Obſeruantes, non pro reformatis, & obſeruantibus, ſed pro diſſolutis illos habet.

R E S P O N S I O XI.

Miramur quod tanti Patres, qui adeò, vt mox audiuimus, loquentes tam mirificè de ſilentio, tam impropriè obloquantur de exercitijs ſpiritualibus contra Sanctorum Patrum experientiam, & mentem, contra Conſtitutionem ſanctam conditam ab initio ferè Congregationis, videlicet anno 1614. hoc prorſus erroneo prætextu, quod ſpiritualia exercitia non debent eſſe ſub obligatione, ſed ad libitum, quia non ſunt imponenda onera ſatis oneratis. Quid enim eſt bona obſeruantia Regulæ, inquiunt &c. niſi continua exercitia ſpiritualia? Verum dicerent ex parte, ſi generaliter vitam duceremus ad præſcriptum, & ad amuſſim, ſecundùm

Regulam, & Conſtitutiones, ſed quia paucorum eſt iſta virtus, &c. ideo dicimus, quod non debent grauari Monachi opponentes de tali Conſtitutione circa exercitia ſpiritualia, ne videantur eſſe cenſores Summorum Pontificum, qui illa imponunt etiam ordinandis in Sacris, & confirmant Conſtitutiones ferè omnium Regularium huiuſmodi rem præcipientes, & Indulgentias plenarias concedunt occupatis in ipſiſmet exercitijs, quæ fiunt, & imponuntur ſalubriter, & iure meritò, vt Religioſi, cuiuslibet anni melius cognoſcant eorum negligentiam, & corrigant, vt vitam, quam profeſſi ſunt, componant his admiuiculis, quibus Sancti quoque vtebantur, & inter alios Sanctus Franciſcus Saleſius perfectiſſimus licet, huiuſmodi exercitia ſummopere diligebat, tum pro ſe, tum pro alijs &c. vt fuſius ſuis in Epiſtolis &c.

Poſt numerum ſeptimum optant Chamberienſes, quod alius numerus inſtituatur, ſcilicet: „ Cum à diſcretione laudetur Regula
„ S. P. Benedicti, permittimus Superioribus Monaſteriorum, vt
„ concedant ſuis Monachis, & Studentibus extra tempus Aduen-
„ tus, & Quadrageſimæ animi relaxationem cum prandio in Aula
„ Hoſpitum ſingulis menſibus, cum hac conditione, vt ad eam non
„ admittantur Sæculares, nec vllus extraneus. Ponitur ly Pran-
„ dium, quia ly Cœna eſſet lex contra Regulam, quæ vult ſi en-
„ tium ſeruari, maximè poſt Completorium: cum autem recreatio
„ cum ſilentio ſtare non poſſit, prout hyberno tempore debuit mu-
„ tari vocabulum, ne conceſſio videatur offendere obſeruantiam,
„ cum qua non compatiuntur recreationes nocturnæ.

R E S P O N S I O.

Vellent Chamberienſes, iuxta numerum dictum, ad eorum arbitrium poſitum renouare Decretum emanatum anno 1684. ſed ſcrupulum ingerunt, & dicunt dandum eſſe prandium, & non cœnam, & hoc *ob reuerentiam ſilentij*. O bone Deus! & vnde hoc? Nonne illi, qui nuper proteſtati ſunt cum Textu ad manus, quod *omni tempore ſilentio* ſtudere debent Monachi? Si illi, cur prandium in Aula Hoſpitum ad animi recreationem, ſeu relaxationem, cum qua ſtare non poteſt ſilentium, vt ipſimet confitentur, exoptant? Et ſi omni tempore ſilentio ſtudere debent Monachi, ſilentium erit tam in prandio, quàm in cœna obſeruandum ab ipſis; Ergo vel ſcrupulum deponant, vel nec prandium, nec cœnam in Aula Hoſpitum, recreationis gratia concupiſcant, & ſi ad obtinendam huiuſmodi recreationem, dicunt bellè, vt ſupra, *cum à diſcretione* laudetur Regula S. P. Benedicti, haud notent, & obloquantur,

quan-

quando loco, & tempore Conſtitutiones diſpenſant iuſtis de cauſis in accidentalibus Regulæ, quæ ſiquidem à diſcretione laudatur &c.

Numerus quartus cap. 8. pag. 85.

Vt iam digeſti ſurgant &c. A Paſcha ad Kalendas Octobris non liceat „ cuiquam, cum poſt Completorium itum eſt in Dormitorium, ſu- „ pra horæ ſpatium vigiliam producere, nec reliquo anni tempore „ ſupra duas horas, niſi Superior id nominatim conceſſerit.

CENSVRA XII.

Ly *ſupra horæ ſpatium vigiliam producere, nec reliquo anni tempore ſupra duas horas, niſi Superior id nominatim conceſſerit*, eſt contra cap. 41. Regulæ, atque ideo ea omnia abroganda, & delenda ſunt, ne videamur peccare in eam.

RESPONSIO XII.

Nos attentè examinantes textum, immo totum caput 41. Regulæ, contra quam inſtitutum eſſe numerum quartum præfatum aſſerit Pars aduerſa, & legimus dumtaxat, quod S. Pater præcipit, vt Veſperæ, & omnia alia ſpectantia ad refectionem, ſiue prandij, ſiue cœnæ, quæ ſemper fiebat ante Completorium, vt patet ex cap. 42. conſumentur, & fiant cum luce diei: legant & ipſi Regulam, ſed attentè; & nos verum dicere non detrectabunt, & palpabunt per S. P. Benedictum poſt Completorium haud prohibitam lucem elementarem, ſeu lucernam ardentem, ſed præceptam fuiſſe, vt clarè conſtat ex cap. 22. Regulæ, §. *Candela iugiter in eadem Cella ardeat vſque mane &c.* atque in cap. 42. ſit quidem prohibitio de ſeruando, ſeu de non frangendo ſilentio, niſi ob neceſſitatem, nunquam verò de ſpatio vnius, aut duarum horarum, quod permittunt in prędicto numero noſtræ Conſtitutiones, cum poſt Completorium itum eſt in Dormitorium &c.

Numerus quartus cap. 19. pag. 103. &c.

In nulla Diuini Officij, aut Miſſarum parte liceat cantu figurato, aut ſymphoniaco, vel muſico, aut quouis alio genere Muſici inſtrumenti vti, niſi bis, aut ter ad ſummum intra annum, *permittitur tamen in Eccleſiis noſtris Diuinorum Officiorum tempore organorum vſus, ad formam Ritualis, & non alio modo.*

De organis non ſit mentio, immo neque debet fieri, *quia propria Monachorum non ſunt*; à multis Congregationibus Monaſticis prohibentur, & maximè à Ciſtercienſibus; ſed S. P. Bernardus multùm contra hæc inuehitur *cap. 11. Apologiæ* ad Guillelmum Abbatem, vnde non debet fieri aliqua lex de illis, quæ ſit contraria Inſtituto noſtro &c.

RESPONSIO XIII.

Quòd noſter Doctor mellifluus in Apologiæ cap. 11. ad Guillelmum Abbatem organorum vſum damnet, hucuſque nec vidimus, nec comperimus, eamdem, licèt perattentè legerimus, nec in Indice materiarum, & rerum notabilium eiuſdem S. Doctoris Operum adinuenimus; Nihilominus ſicuti S. Pater damnat ibidem magnificum, auro, ſtructura, picturis etiam prophanis, admirabile viſu Oratorium &c. idem non damnaſſet, creditur, ſi ſanctam, & deuotam pulchritudinem præ ſe tuliſſet: Damnaremus & nos Oratoria, & organa, aliaque id genus, quod Gentilis, vt refert Mellifluus, in Gentibus arguebat; Verùm organa per ſe ſumpta, & vti vſus eorum in Eccleſijs noſtris modeſtus, S. Patrem non offenderent, cum reuera talis vſus ex Sacra Scriptura reſultet. Quicquid ſit &c. non per hoc, quod Ordo Ciſtercienſis ſexcentis ab hinc annis huiuſmodi non ſit vſus Inſtrumentis, ſequitur quod ea reſpuerit, & damnauerit, aliter ſequerentur multa abſurda, & inter alia nec argentum, nec aurum, nec ebur, nec aliquod honeſtum ornamentum in Eccleſijs, ſeu Altaribus eſſet apponendum, quia Ciſtercienſis Ordo in ſui primordijs ijſdem omnino non ſit vſus, & damnanda venirent pro pitantia, ſi apponerentur trina oua Fratrum menſis &c. prout petitur ex Parte aduerſa, quia hæc trina oua pro pitantia ſi quis tempore Diui Bernardi petijſſet, tamquam Ethnicus, & Anathema præſcriptus ab Ordine fuiſſet.

Quod autem dicitur de alijs ferè omnibus Congregationibus Monaſticis circa organorum proſcriptionem, nec aſſerimus, nec recuſamus; vnum tamen ſcimus, quod in Italia Congregationes prædictæ, & præſertim noſtri Ciſtercienſes organorum vſum permittunt, vt in Conſtitutionibus prædictarum Congregationum legimus. Vtrùm verò Conſtitutiones huiuſcemodi habeant vim vltra Montes, prudentibus relinquimus deciſionem &c. nam deſuper hac re tœdet diutiùs ſcribere &c.

Nume-

Numerus primus cap. 21. pag. 105.
Si maior fuerit Congregatio &c. „ In noſtris Monaſterijs regendis „ ſufficiat poſt Superiorem Prior in Abbatijs, in Prioratibus verò „ poſt Priorem Supprior ex Sacerdotibus ſemper eligendi &c.

C E N S V R A XIV.

Debent hic inſtitui etiam Decani, prout in hoc cap. 22. ne videamur abſolutè reijcere contra Regulam Decanos, atque ideò hic numerus primus eſt contra Regulam, dum nullam mentionem facit de prædictis Decanis.

R E S P O N S I O XIV.

Cùm S.P. Benedictus in cap. 21. non præcipiat abſolutè, ſed conditionatè Decanorum electionem per ly: *Si maior fuerit Congregatio, eligantur de ipſis Fratres boni teſtimonij, & ſanctæ conuerſationis, & conſtituantur Decani &c.* non ſunt cauſanda noſtra Capitula Generalia tanquam non elegerint Decanos prætenſos de præcepto Regulæ: Etenim quando Capitulum Generale, cuius eſt iudicium in hoc, cenſuerit adeſſe in Monaſterijs noſtris *maiorem Monachorum Congregationem*, Decanos eligendos, quod ſtatuet, non ambigimus; præterquam quod parùm refert, aut obeſt omiſſio Decanorum, dummodò Prælatus habeat alios, in quibus (vt ex textu eiuſdem capitis) *ſecurus Abbas partiatur onera ſua*, vt fit in Abbatijs cum Prioribus, & in Prioratibus cum Suppriori-bus, qui ſimul cum Senioribus adiuuant Prælatos in ſuis oneribus, quod eſt finis germanus, proprius, & mens S. Legiſlatoris; & hoc etiam comprobatur ex cap. Regulæ 65. de Præpoſito Monaſterij §. *Ideo nos prauidemus expedire propter pacis, charitatiſque cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monaſterij ſui, & ſi poteſt fieri* (nota ſi poteſt fieri, quæ ſunt verba conditionata) *per Decanos ordinetur &c.* Et comprobatur exemplo Congregationis noſtræ Fulien. quæ in ſuis Conſtitut. 1637. typis editis abſolutè reijcit, & proſcribit Decanos tanquam non neceſſarios. Vide ibidem explanationem, ſeu declarationem capitis huiuſce Sanctæ Regulæ.

Numerus primus titul. *de grauiſſima culpa*, cap. 28. num. item 10. „ *Caſtitatis cum altera perſona opere commiſſo violatio, vel eiuſdem* „ *violationis ſuſpicio vehemens, cuius peccati conuictus per menſem &c.*

A prædicto *num.* 10. *pag.* 136. debet tolli ly, *vel eiuſdem violationis ſuſpicio vehemens*, quia pœnæ grauiſſimæ debent imponi pro culpis manifeſtis, vt dicitur *pag.* 200. *num.* 4. *Conſtitutionum*; Suſpicio autem non eſt peccatum manifeſtum, neque completum, & plerumque qui ſuſpicatur vehementiam auget &c.

RESPONSIO XV.

Notandum eſt ſuſpicionem vehementem, de qua numerus decimus idem eſſe, ac indicium violentum, & indubitatum, adeò quod ità mouent animum Iudicis, vt aliter ſentire non poſſit, niſi quod illi ſuggerit propoſitum indicium, & à fortiori hoc militat in caſu noſtro, in delictis ſcilicet carnis, quæ vt plurimum occultiſſimè committi ſolent, & huiuſmodi delicta carnis per indicia violenta, & indubitata ſeu per vehementem ſuſpicionem notificata, & tanquam manifeſta habentur, & puniuntur, vt refertur *cap. litteris* 12. *de præſumpt.* his verbis: *Produxerunt Teſtes firmiter aſſerentes quod poſtquam Mulier cum prædicto Viro contraxerat matrimonium, conſanguineum Viri eiuſdem ſolum cum ſola, nudum cum nudâ in eodem loco iacentem, ea vt credebant, intentione, vt eam cognòſceret carnaliter, viderunt &c. - Ex huiuſmodi violenta, & certa ſuſpicione fornicationis poteſt ſententia diuortij promulgari.* Ita *Bordonus prax. crimin. cap.* 62. *& Conſtitutiones, ſeu Decreta reformata Clericorum Minorum Regularium cap.* 43. *de Pœnis Superiorum num.* 2. Volunt etiam quod Superior deponatur - *ſi notoria infamia laboret apud Sæculares ex vehementibus indicijs*? Doctrina allata exemplificata ſufficiens eſſet pro reſolutione Cenſuræ, verum examinemus Textum Conſtitutionum *num. præfato* 10. *Caſtitatis cum altera perſona, opere commiſſo violatio, vel eiuſdem violationis ſuſpicio vehemens cuius peccati conuictus &c.* ergo ex verbis Textus Caſtitatis cum altera perſona reus quomodocumque, nimirum, vel opere commiſſo, violatione, vel eiuſdem violationis ſuſpicione vehementi, debet eſſè conuictus, ergo ſi reus huiuſmodi debet eſſe conuictus, verè, & realiter ſuſpicio vehemens tranſijt in culpam manifeſtam, quam conuictus ipſemet reus fatetur, ergo clarè videtur quod Conſtitutiones non imponunt pœnam manifeſtam pro vehementi ſuſpicione &c. quæ apud Nos nihil operatur, niſi ad ſemiplenam probationem, & ad conſtituendum reum prætenſum, & inquirendam veritatem de culpa, circa quam ſuſpicio vehemens intercedit &c.

Quod

Quod autem res ita ſe habeat, clarè dignoſcitur etiam, ex alio Textu Conſtitutionum *cap.2. num.19.* quo fuſiùs præſens quæſtio explicatur præcisè: *Carnis copulatio, vel de violata caſtitate cum altera perſona talis ſuſpicio prabita, quæ vehemens ab iiſdem ſupradictis iudicata fuerit, audito ipſo Superiore reo, & rei veritate dumtaxat inſpecta &c.*

Quæ omnia indicant Iudicium, licet planum, & ſine ſtrepitu, Regularium more; *auditur reus, & rei veritas inſpicitur*, & ſi reus hic prętenſus probat in contrarium, vtique abſoluitur, ſin minùs, conuictus, damnatur, ſed non per ſuſpicionem vehementem, ſed ob confeſſionem culpæ violatę caſtitatis cum altera perſona contra quam vrgebat vehemens ſuſpicio, ergo fruſtra diditant opponentes abrogandum eſſe *numerum* 10. *prædictum*; Ergo in caſſum citant *numerum* 10. *eſſe contrarium Conſtitutionibus ab ipſis citatis pag.* 200. *&c.* cum nulla intercedat contrarietas Textuum &c.

Numerus primus capitis 32. pag. 153. *ſubſtantia Monaſterij &c.*

„ Officialis quiſque Monaſterij ſimul, ac ſuſceperit Officium ſibi man-
„ datum, res ſuæ fideicommiſſas, facto earum Inuentario, accipiat,
„ vt cum deponet Officium, aut quandocumque Superiori viſum
„ fuerit, fides eius in eis ritè conſeruandis, & reddendis appareat;
„ Superior autem Monaſterij habeat omnium Officialium ſuorum
„ Inuentaria ſeparatim deſcripta &c.

CENSVRA XVI.

Huiuſmodi numerus eſt contra Decreta Clementis VIII. *de Reformatione Regularium* §.12. *&* 13. vbi adminiſtrationem bonorum, aut aliarum rerum, diſpenſationemque pecuniarum, & redditum ſui Conuentus, etiam nomine Conuentus per ſeipſum, nec habere, nec exercere poſsit, ſed tribus Fratribus omnis ſubſtantia Monaſterij tribuatur exigenda, cuſtodienda, & diſpenſanda ſecundum mandata Superioris.

RESPONSIO XVI.

Plura occurrunt dicenda ad demonſtrandum noſtram Congregationem immunem eſſe, & exceptam ab obſeruantia Decretorum de reformatione Regularium anno 1599. die 25. Menſis Iunij editorum à SS. D. N. D. Clemente Papa VIII. Primo quia idem Pontifex in ſua Conſtitutione incipien. *Sanctiſſimus in Chriſto Pater &c.* de Nouitijs ad habitum Regularem non recipiendis niſi in Mona-

ſterijs,& locis deſignandis &c. ſub Dat. Romæ die 20. Iunij eiuſdem anni 1599. oſtendit ſuam mentem; & declaratur pro iiſdem Nouitiis deſignanda eſſe Monaſteria,& Conuentus aliquot in quibus poſſet commodiùs obſeruantia ſecundum reformationem à Sanctitate Sua inſtitutam,introduci,& cum ſit quod in recenſita Cōſtitutione,noſtra, inter alias excipiatur Congregatio ab onere ſeligendi,& deputandi Monaſteria,& Conuentus aliquot ad effectum vt ſupra pro Nouitijs ſuſcipiendis &c. conſequenter, & liquidò conſtat eamdem non comprehendi, & adſtringi ad obſeruantiam Decretorum huiuſmodi pro reformatione emanatorum. Secundo quoque patet quia Congregatio noſtra, cuius ſtatum optimè nouerat Sanctiſſimus non indigebat reformatione,immò relaxatione, quodammodo,& moderatione in multis ſatis duris, & acerbis ſtatutis,prout illam pluries modificauit per Magiſtrum Alexandrum, & Reuerendiſſimum Dominum Coſmum Doſſenam ſupra memoratos,vt ex Actis Capitulorum Generalium &c. & ſignanter Coſmus ab ipſomet Clemente ſpeciali auctoritate, confirmata iam à Paulo V., deputatus vt negotijs totius noſtræ Congregationis ſuperintenderet,ſumma in omnibus,& per omnia,Apoſtolica fulctus poteſtate, illam correxit in pænis,aliiſque durioribus obſeruantijs, quæ omnia apud Acta Capituli Generalis 1598. celebrati, cui tanquam Præſes Apoſtolicus intererat,videre eſt vt in *Lib. Q. A. pagina* 192. Tertio,quia cum in prædictis Decretis *de Reformatione num.*40. diſtrictè præcipiatur Generalibus, aliiſque Superioribus &c.,vt curent,& efficiant ea omnia inter alias eorumdem Ordinum Conſtitutiones perpetuò valituras, redigi, interdicta omnino eorum ſingulis facultate illas declarãdi, & aduerſus eas vſquam diſpenſandi ſub pænis etiam priuationis Officiorum &c. & cum hæc Decreta vllo nunquam tempore fuerint noſtris Conſtitutionibus, aut Decretis Capitulorum Generalium, quibus,ab anno 1595. ad annum 1617, incluſiuè, vt ex Actis &c. præfatus Coſmus ſemper interfuiſſet nouies Præſes auctoritate qua ſupra Clementis VIII. & confirmata à Paulo V. , non eſt ambigendum quod Doſſena peritiſſimus, & in paucis prædicto Clementi chariſſimus, ea ſumma, qua pollebat poteſtate ſi Congregationem noſtram, procerto non habuiſſet exceptam ab huiuſmodi Decretorum obſeruantia, ea omnia vt inſererentur,vel Conſtitutionibus,vel eiuſdem Congregationis Decretis omnem lapidem mouiſſet,præterquamquod Patres ipſi Capitulares ſummè vtpotè addicti Sanctiſſimo Domino Clementi de illis, totaque Congregatione benemerentiſſimo, ſi pro comperto non habuiſſent non teneri ad illorum obſeruantiam Decretorum,quantocyus vltrò,& lubenti animo, paruiſſent, eaque

vel

vel Conſtitutionibus, vel Decretis Capitularibus,& ſanctionibus inſeruiſſent,& promulgaſſent,vt conſtat per eoſdem factum fuiſſe, prout in Conſtitutionibus antiquis *pag.* 108. de Decreto eiuſdem Clementis Papæ Octaui fel.rec. ſpectante ad caſus reſeruato,emanato die 26. Maij anno 1593., deque aliis Decretis Summorum Pontificum,ad quæ ſe teneri,& adſtrictos eſſe non dubitarunt,& ſignanter de Decreto Pauli V. quo iubebatur omnium redditutum cuiuſque Monaſterij fieri nota, numeruſque Religioſorum &c. vt ex Actis Capituli Generalis de anno 1607. *Libro Q, A, pag, 307. à tergo* clarè dignoſcitur.

Ex dictis patet nihil eſſe innouandum circa præſentem quæſtionem, cum planè conſtet Nos ad prædictam pro reformatione Regularium Decretorum obſeruantiam haudquaquam comprehendi, aut teneri, cùm aliàs noſtræ Congregationis, tùm primò, cùm vltimo impreſſæ Conſtitutiones ſatis ſuperque etiam hac in re proſpiciant bono regimini Cõgregationis iuxta *Cap. 32. Sanctæ Regulæ*, incipien. *Subſtantia Monaſterij in ferramentis, vel Veſtibus, ſeu quibuslibet rebus prouideat Abbas fratres, de quorum Vita, & moribus ſecurus ſit, & eius ſingula, vt vtile iudicauerit, conſignet cuſtodienda, atque recolligenda &c. & idem quod antiquæ, Conſtitutiones nouæ decernunt &c.*

Doctrina aliquantiſper fuſius allata inſeruire poteſt pro omnibus alijs controuerſiis, quæ à Chamberienſibus, aut alijs impoſterum fortè obijcientur circa obſeruantiam præfatorum Decretorum pro reformatione Regularium inſtitutam, & promulgatam à Sanctiſſimo D. Clemente Papa VIII. anno &c.

Numerus tertius Capitis 36. De infirmis Fratribus pag. 169. Balneorum vſus &c.

„ **Balneorum nomine intelligimus domeſtica Balnea, quæ quidem ſi**
„ **in aliquo Monaſterio fuerint permitti poſſint, externa autem mi-**
„ **nimè, nec ea cuiquam concedi poſſint, niſi à Capitulo Generali,**
„ **aut ſi periculum eſſet in mora, ab Abbate Generali &c. Aegri ne**
„ **propter &c.**

CENSVRA XVII.

Balneorum vſus &c. ly Externa autem &c. vſque ad ly Ægri ne, propter &c. tolli deberent, quia ſunt contra Regulam hic dicentem: ***Balneorum vſus infirmis quoties expedit offeratur &c.***

RE-

Cum Regula in Capite, & loco citatis haud loquatur, vel diſtinguat Balnea, externa ſcil cet, vel domeſtica, omnes ferè Monaſticæ Congregationes, vt in earumdem reſpectiuè Conſtitutionibus legimus idem ſtatuère circa Balnea externa quod noſtra Congregatio &c. Et Concilium Aquiſgranenſæ in cauſa Regulæ Benedictinæ congregatum tempore Paſchalis Papæ Primi, & Ludouici Imperatoris Quarti, anno Domini 817. &c. cui Abbates cum quampluribus ſuis Monachis reſiderunt, *de Balneorum vſu* ſanciuit, prout ex *Tamburin. de Iure Abbatum tom. 1. diſp. 2. q. 13. n. 7. Vt Balneorum vſus in arbitrio Prioris exiſtat &c. ac proinde nihil contra Regulam decretum eſt.*

Numerus ſextus Capitis 38.

„ Nemo conſtituatur Confeſſarius tàm Fratrum, quàm Sæcularium,
„ niſi præuio examine approbatus, & habita in ſcriptis licentia, aut
„ à Viſitatoribus, aut à Prouinciali, aut ab ipſo Abbate Generali,
„ aut certè ab alijs eorum mandato.

CENSVRA XVIII.

Ly *quàm Sæcularium* eſt auferendum, aliàs iſte numerus eſſet contra *Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 15.* quia pro Sæcularibus non ſolùm licentia Superiorum, vt Monachus eos audiat, ſed etiam approbatio Epiſcopi loci requiritur &c.

RESPONSIO XVIII.

Patientia vtique nobis neceſſaria eſt. Scimus ſiquidem neminem poſſe Sæcularium Confeſſiones audire abſque Ordinarii Loci, ſeu Epiſcopi approbatione, & licentia, & hoc clarè conſtat ex ſubſequenti *numero 9. prædicti Capitis pag. 175.* verbis illis præcisè. *Nullus ad publicum examen mittatur niſi antea vt ſupra examinatus ſit, & approbatus. & quod prædictum publicum examen intelligatur* de illo, quod fit ab Ordinarijs pro examinandis ad ſæcularium audiendas Confeſsiones, patet, quia iam ſupra *num. 6.* pro Confeſſionum examinatione in Congregatione facienda, ſatis dictum fuerat, ergo illud publicum examen intelligitur de examine coram Epiſcopo, ſeu &c. Quod autem illud examen intelligatur pro obtinenda facultate audiendi Confeſsiones Sæcularium,

pa-

patet alijs ex verbis eiuſdem *num. 9. Qui autem ſine huiuſmodi approbatione, & licentia, vel cum ſola Epiſcopi, aut alterius Ordinarij facultate Sæcularium Confeſſiones audire præſumpſerit &c.* quibus coniunguntur Opponentes Conſtitutiones aſſerere facultatem requirendam eſſe ab Ordinario, ſeu Epiſcopo pro audiendis Confeſſionibus Sæcularium, antequam tamen, ſtatuunt neceſſariò licentiam Prælatorum Congregationis, ita vt, quis Monachorum non poſsit *cum ſola Epiſcopi facultate* audire Confeſſiones Sæcularium ſub pænis *in dicto num. 9. contentis*, & hic miramur quod Chamberienſes adeoindoctos, & impios putauerint, & putent Patres Capitulares, qui prædictam ſanxerunt Conſtitutionem, ac ſi in re tanti momenti, Sacramentorum, videlicet in adminiſtratione neſciuiſſent ex præſcripto Concilij, præſertim Tridentini, Summorumque Pontificum Decretis, omninò neceſſarium ad Sæcularium Confeſsiones audiendas, eſſe approbationem, & facultatem etiam Epiſcoporum, ſeù Ordinariorum Locorum.

Numerus quintus prædicti Capitis 38. pag. 173.

„ Quod attinet ad Caſus reſeruatos, ſeruetur Decretum Clementis
„ Octaui; Iulium, vel ſummam Iulio æquiualentem, furatum eſſe in
„ hac Congregatione peccatum mortale cenſeatur, quare iuxta di-
„ ctum Decretum caſus Superiori reſeruatus eſse poſſit. Minoris
„ autem pecuniæ, vel rei furtum minimè, cum per id Decretum
„ eius demum furti peccatum reſeruari poſſit à Superiore quod
„ peccatum mortale eſt &c.

C E N S V R A XIX.

Numerus quintus prædictus videtur contra *Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. vbi atrociora, & grauiora crimina vult reſeruari &c.*

R E S P O N S I O XIX.

Concilium Tridentinum *ſeſſ. & cap. citatis*, clarè loquitur non de Regularibus, ſed de Epiſcopis, quibus mandat vt reſeruatio tantummodò ſit *ex atrocioribus*, quod quidem prudentiſſimè factum fuit, quia ad populi Chriſtiani diſciplinam ſit reſeruatio, & cum populus Chriſtianus in genere non teneatur adeò ſtrictè, & rigorosè viuere, neque ad perfectionem, ſicuti tenentur Regulares ex vi Profeſſionis, *vt in ædificationem, & non in deſtructionem vergat reſeruatio, vt ipſa Sancta Synodus notat grauiorum, ſeu atrociorum*

ciorum præcipitur fieri tantũmmodò per Epiſcopos *reſeruatio*,
quod non militat in Regularibus, vtpotè ad cautiùs, ſanctiùs, &
perfectiùs viuendum adſtrictis, ſed ſufficit obſeruare Decretum
emanatum à Sanctiſſimo Domino Clemente Papa Octauo die
26. Maij 1593. de Caſibus reſeruatis, vbi habetur præcisè: *Si
quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione
&c.* ex quibus verbis clarè conſtat poſſe grauia peccata, debito tamen modo, vt ibi, ſcilicet de Capituli ſiue Prouincialis, *ſiue Generalis reſpectiuè conſenſu &c.* Præterquamquod numerus notatus
vt ſupra exaduerſo cum ſit pro ſtrictiori *conſeruatione Voti paupertatis*, tantùm abeſt vt aduerſetur, quinimmò faueat Concilio
ſeſſione 25. cap. 1. de Regular. vbi præcipitur inuiolabilis ſubſtantialium, nempè Votorum obſeruantiæ, verbis illis. *Si enim illa,
quæ baſes ſunt, & fundamenta totius Regularis diſciplinæ exactè
non fuerint conſeruata totum corruat ædificium, neceſſe eſt*, adeòque
prædictus numerus non eſt expungendus, cùm ille faueat menti
Concilij Tridentini de exacta conſeruatione, & obſeruantia Votorum &c.

Numerus ſecundus Capitis 40. De menſura potus pag. 185.

» Quibus propter laborem, quo ſe fatigauerint &c. - *Quiſquis vino
prorſus abſtinere voluerit id ſine licentia non poſſit.*

C E N S V R A XX.

Ly numerus, ſeu paragraphus - *Quiſquis vino &c.* ly *ſine licentia
non poſſit* videtur contra ſpiritum huius Capitis &c. Deberet igitur poni ſic; *Id cum voluntate Superioris poſſit*; Sic enim ſaluatur
intentio Regulæ, & Obedientia.

R E S P O N S I O XX.

Subtilis ſiquidem Cenſura videtur, verùm poterant huiuſmodi numerum haud notare, quia in ſubſtantia idem eſt, *quiſquis Vino
prorſus abſtinere voluerit, id ſine licentia non poſſit*; ac *Quiſquis Vino prorſus abſtinere voluerit, id cum voluntate Superioris poſſit*, quia
ſi tam in primo, quam in ſecundo *ly* requiritur voluntas Superioris, ergo in vtroque *ly* requiritur licentia Superioris; Quod
enim cum voluntate alterius neceſſario fit, ſine licentia fieri non
poteſt, ergo in *vtroque ly, Quiſquis Vino prorſus abſtinere voluerit, id
ſine licentia, ſeu voluntate Superioris fieri non poſſit &c.*

Quod

Quod autem ly *Quis quis vino &c.* non ſit contra ſpiritum 40. Capitis Regulæ, probatur; quia Sanctus Legiſlator licèt ægro animo, nihilominus conſiderans imbecillitatem etiam futuram ſuorum Monachorum, concedit bibere Vinum, ſed non ad ſatietatem, vt videre eſt ex toto citato Capite; Offenderet tamen plura Capita Regulæ *quis ſine licentia Superioris* abſtineret vino, & præſertim offenderet Caput tertium, quintum ſeptimum, trigeſimum tertium, & quadrageſimum nonum, in quibus expreſsè legitur, *quod nullus in Monaſterio proprij ſequatur Cordis voluntatem, cum euidens ſit Monachis, nec corpora ſua, nec voluntates liceat habere in propria poteſtate &c.* & qui diuerſimodè à nobis loqueretur, vel eſſet de illis, vel commendaret tertium Monachorum teterrimum genus, Sarabaitarum videlicet, qui nulla regula approbati, vt inquit Sanctus met Pater noſter Benedictus, in primo Capite Regulæ, *qui bini, aut terni, aut certè ſinguli ſine Paſtore, non Dominicis, ſed ſuis incluſi Ouilibus, pro lege eis eſt deſideriorum voluptas: cum quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt Sanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere &c.*

Noſter D. Bartholomæus à S. Fauſto corroborat intentum, noſtramque ſententiam *in Tract. de Voto Obedientiæ quæſt. 84.* dicens, Religioſum teneri ſuo Prælato obedire etiam in ijs, quæ ſunt infra, & præter Regulam, vt v.g. ſi Prælatus alicui ſubdito præcipiat vt ſe reficiat, recreet, ſeù aliquid aliud efficiat, quod nec Regula iubet, nec vetat, ſed ſunt infrà, aut præter Regulam, ſi hæc aliquo modo conferant ad obſeruantiam Regulæ, & præceptorum eius, aut ſint reducibilia ad ipſam, vt ſunt ſupradicta cum expediat vt quãdoque Religioſus recreetur, & à regularibus auſteritatibus aliquantiſper abſtineat, nè indiſcretè in nimio feruore deficiat, in vita religioſa. Hucuſque *Fauſt. vt ſupra.* Benè ergo potuere, immo Diui Benedicti Regulæ diſcretiſſimè inhærentes debuerunt Patres Capitulares inSpiritu Sancto congregati, ſancire quod Monachi vinum conceſſum ab ipſo Legiſlatore prorſus non abominentur, ſeù illo omninò non abſtineant ſine licentia Prælati, penes quem eſſe debet prouidentia circa ſuos ſubditos tàm circa profectum animæ, quam corporis ſalutem, & præcipuè ne ipſa ſua diutina abſtinentia (quod vt plurimum accidit) & indiſcreto ac nimio feruore deficiant in vita Religioſa, ac reddantur in poſterum inhabiles ad præſtanda ea, quæ Regula, & Conſtitutiones præcipiunt &c.

A Sancto Paſcha &c. -- A Pentecoſte autem tota Æſtate, ſi labores agrorum non habeant Monachi, aut nimietas Æſtatis non perturbet, quarta, & ſexta feria ieiunet vſque ad nonam, reliquis verò diebus ad ſextam prandeant. Quæ prandij ſexta, ſi opera in agris habuerint, aut æſtatis feruor nimiùs, continuanda erit, & in Abbatis ſit prouidentia. Et ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter & animæ ſaluentur, & quod faciunt fratres, abſque vlla murmuratione faciant &c. Vide Conſtitut. pag. 284. &c.

CENSVRA XXI.

Secundum hoc Caput S. Regulæ ieiunare debemus quarta, & ſexta feria à Pentecoſte ad Idus Septembris, & licèt ſit in prouidentia Superioris, quando eſt nimius feruor æſtatis, vel opera habent, vt ibi, ità quod tunc poſſit diſpenſare, non tamen his cauſis deficientibus, nec pro ſemper: Hæc autem ieiunia non fiunt apud Nos, quod eſt conſiderabilis inobſeruantia.

RESPONSIO XXI.

Conſtitutiones declarãtes ex parte hoc Caput in primo num. loquuntur in genere de Ieiunijs, prout pag. 185. præcisè: Ieiunent vſq; ad Nonam &c. *Diebus Ieiuniorum tùm hyemè, tum æſtate, præterquã in Quadrageſima, fratres à Nona, hora ante meridiẽ celebranda, exeũtes ad Refectorium accedant*: Quibus verbis clarè conſtat quod Cõſtitutiones ſupponunt pro certo Ieiunia adeſſe æſtiuo tempore, atque ideò neq; excluduntur Ieiunia 4. & 6. fer. Si autem hæc ieiunia non fiunt apud Nos, non debent cauſari Conſtitutiones, ſed mirari, & imitari diſcretionem Superiorum putantium habere ſemper rationabilem cauſam diſpenſandi circa huiuſmodi, quinimmò debent aduertere Opponentes quod illud, quod ponitur ad arbitrium, non eſt præceptiuum, & quod non eſt præceptiuum, non eſt coactiuum de neceſſitate faciendum, ergo ad Ieiunia, de quibus quæſtio, vtpote relicta ad arbitrium Abbatis, non tenebimur, niſi aliter diſponat Abbas, ſeù apud nos Capitulum Generale, penes quod eſt declarare, vt probatum eſt Regulam &c. Vt autem agnoſcant Chamberienſes, quod Patres Capitulares optimè norant murmurationes, vndequaque auditas fuiſſe ob hæc Ieiunia æſtiuo tempore, ſi ad illa in poſterum adſtingeretur Congregatio, quò circa opere prætium duxerunt melius, & rem gratam Di-

uo Benedicto ſe facturos putarunt, ſi ab ijs, quæ ad eorum arbitrium erant poſita, deinceps, vt more omnium ferè aliarum Monaſticarum Congregationum, noſtra etiam abſtineret, permitterent, ijs ducti fundamentis, & quia S. Pater eodem in Cap. 41. ſicuti, & alibi paſſim hortatur Abbatem, *vt ſic omnia temperet, atque diſponat, qualiter, & animæ ſaluentur, & quod faciunt fratres, abſque ulla murmuratione faciant*; & quia (quod notandum eſt) noſtris temporibus more Quadrageſimali, obſeruantur Ieiunia Aduentus, de quo nullus ſermo in Regula, & quia acceſſerunt etiam quamplura Ieiunia indicta à S. Eccleſia, quæ non fiebant, ſaltem tanta, tempore Legislatoris, ideò ne magis, magiſque grauarentur Monachi, huiuſmodi Ieiunia arbitraria, & poſita in Abbatis prouidentia, & diſcretione, diſcretiſſime, iuſtiſque, & dignis de cauſis, à Pentecoſte vſque ad Idus Septembris miſſa fecerunt, vt libentiùs incipiant, & perficiant alia Ieiunia, quotidie ab Idibus Septemb. vſque ad Paſcha &c.

Numerus ſextus eiuſdem Capitis 41. pag. 192. *Nullus extra Refectorium, & reffectionis horas quicquam cibi, vel potus capiat, niſi Superior nominatim permiſerit. A Paſchate ad feſtum S. Crucis in capite Ieiuniorum ante Completorium, reliquo verò tempore poſt Completorium cænetur.*

CENSVRA XXII.

Ly reliquo verò tempore poſt Completorium cænetur, & illud *pag.* 85. *num.* 4. ſupra horæ ſpatium, & duas horas &c. ſunt contra Regulam, quæ hoc capite vult omnia omni tempore fieri cum luce diei, & tamen non poteſt traduci vigilia per duas horas, neque cænari in hyeme poſt Completorium ſine lumine lucernæ, vnde, vel eſt anticipanda hora Completorij ſufficienter, vt omnia compleantur cum luce diei, vel ſupplicanda erit Sancta Sedes pro diſpenſatione.

RESPONSIO XXII.

Iam Sácta Sedes omnia ſuppleuit, ſi ex taxato numero fuiſſent diſpoſita aliqua, quæ viderentur Regulam offendere, atque ideo inanis eſt Cenſura; & inſinuatio ſupplicationis prædictæ. Capitulum enim Generale de anno 1610. & 1611. ſtatuit ea omnia, quæ ſunt poſita in num. 2. & Sexto circa Collationem, & refectionem poſt Completorium cum lumine lucernæ faciendam; Quæ Decreta omnia per Breue Pauli V. incip. *Hiſque &c.* Datum die 6. Aprilis

lis 1620. confirmata ſunt, cum inibi Summus Pontifex confirmauerit omnia Decreta facta ab anno 1601. ad annum 1620. excluſiuè. Verùm pro reſolutione huius, aliarumque huiuſcemodi obiectionũ non grauentur Monachi Chãberienſes audire quæ in Proœmio Conſtitutionum Monachorum Ordinis Camaldulen. decem poſt annos à Concilio Tridentino completo confectarum de mandato Sanctiſſimi ex tunc, & nunc B. Pij Papæ Quinti, cuius opera prædictæ Conſtitutiones editæ fuerunt, ipſique dicatæ. Ibi dicitur præcisè: *Primum enim omnium nullum Statutum, nulla pene lex inuenietur, quæ apud quamlibet totius Orbis terrarum Nationem ſimplici illa, qua ab Auctore lata fuit, Inſtitutione, ſeruetur: Hinc nouæ quotidiè leges, hinc noua Decreta, hinc penè innumeri legum, & tam Ciuilis, vt vocant, quam Pontificij Iuris Interpretes: Quod ſi quis dicat Conſtitutiones has non perinde omnino ad Regulam Diui Benedicti ſe habere, vt illæ Superiores, quas diximus, aut leges etiam plurimorum, declarationes, quod in his aliquid interdum minuatur, addatur, mutetur, id ſciat pro temporum, rerum, & locorum ratione ſic expoſcente, & veluti exigente, profectum. Neque tamen hac in re quidquam inuſitatum molitos nos eſſe viſum iri exiſtimamus: Quæ enim vnquam Reſpublica (nam vt aliæ omnes, ità hæc noſtra Congregatio Reipublicæ cuiuſdam Imaginem præſefert) quodnam Imperium à principio tam firmis fuit, ac certis legibus conſtitutum, atque munitum, vt aliquid mutare, minuere, addere, tempus ipſum non coegerit, vel inuitos? An fortaſſe iiſdem legibus Romanum Imperium regnante Romulo, iiſdem Numa, Tullio cæteriſque iiſdem Conſulibus Rempublicam adminiſtrantibus, regebatur? & tamen ad vnum omnia, bene tractandi, ſeruandi, augendi Imperij finem ſpectare quis negabit? & ne nimis longe noſtra vagetur Oratio, hoc Summi idem SS. Pontifices Congregationi noſtræ non conceſſiſſent, niſi res ipſas, & tempora ſic expoſcere iudicaſſent: Vt taceam, quod impium eſſet omnino, de antiquis noſtris Patribus, qui primi Conſtitutiones in Diui Benedicti Regulam inſtituere, quidquam ſiniſtrum, aut minus Religioſum cogitare. Nunquam enim illi (qua erant pietate, ac vitæ ſanctitate) ne tranſuerſum quidem vnguem, de Diui Benedicti Regula mutaſſent, minuiſſent, addidiſſent, niſi id ita fieri oportere, fuiſſent optimis rationibus arbitrati. Quas ego rationes, eas nimirum, quibus illi adducti, primas in Regulam Conſtitutiones inuenerunt, referre non grauarer (ſunt enim in promptu) ſed ad ea, quæ noſtra tempora poſtulant, feſtinat Oratio; Quonam enim tandem pacto, ſi noſtra hac ætate Abbates, & Monaſteriorum Priores, quos vocamus, perpetuos eligeremus, fieret vt &c. - Penitus diſtraherentur, pacem, qua nam via retinere inter*

nos,

nos, & habere poſſemus, ſi Collegiorum Rectores à Monachis illius Monaſterij in omnem partem eligantur? Nonne id magnas diſcordias, & penè factiones apud noſtros maiores ſæpè peperiſse comperimus, neque mirum hoc etiam fortaſſe videri debeat, ſi multa, quæ noſtris primis Patribus obſeruatu facilia, atque adeò ſalutifera eſſent, nobis nunc, in quos fines ſæculorum deuenerunt, non conuenire dicamus: Illi etenim in ſyluis, & montibus &c. Nos verò in Vrbes ferè omnes, & Oppida redacti, Sæcularium (nam ſic eſt dicendum) cogimur plurimum commodis inſeruire, & ea de cauſa fit, vt nullo modo, quod ſingulis diebus ex Regula præſtare debemus, in toto anno id efficere eum diei luce poſſimus, cum hyemis tempore vix ſatis Eccleſia de die, ac populis faciamus &c. Hactenus Auctores Conſtitutionum prædictarum &c.

Inſuper placet pro præſenti materia, de qua agimus peculiares quoque rationes adducere ad confirmationem noſtræ ſententiæ, quas Monachi Caſſinenſes, in ſuis Conſtitutionibus ab Vrbano Octauo fel. rec. confirmatis declarant ad textum prædicti Capitis 41. & ſignanter ad ly *Cum luce omnia fiant* quia (inquiunt Caſſinenſes) *noſtris temporibus Diuina Officia ita aucta ſunt, & Officiorum ſolemnitates, quod quando occurrunt in diebus, in quibus non eſt Ieiunium, hyemis tempore, quo dies ſunt breuiſſimi, non videmus Cœnam fieri poſſe in luce abſque manifeſta corporum læſione, & ſi voluerimus Diuinorum celebrationem multum tempeſtiuè expedire &c. populo ſcandalum gigneretur, & malum de vtraque tempeſtiua refectione redderetur exemplum: Conſiderato etiam quod non deuiat à Iuſtitia quandòque antiqua, propter rerum, & cauſarum varietatem, & propter nouos Eccleſiæ ritus, variare: Propterea diſpenſando, ordinamus quod ab Abbatis pendeat arbitrio, temporum accommodatio, tàm quod Officiorum ſolemnitates, quam quoad refectionem, habita temporum, & locorum diligenti conſideratione, nec non ſalua corporum valetudine &c.*

Tritum ſi quidem eſt non vnus omnibus, vno nec in tempore fiunt omnia: vt ad rem Apis Claraual. ad ſuum, noſtrumque Eugenii: *lib. 2. de conſid. cap. 5. Aliquid Apoſtoli ipſi parentes tui, quod ageres, reliquerunt tibi: nec tu ad omnes ſuffiei es: aliquid profectò tuo relicturus es Succeſſori, & ille alijs, & alij alijs vſque in finem &c.*

Ex quibus omnibus ſatis ſuperque conſtat quod ſi aliquid noſtra etiam Congregatio ad amuſſim iuxta Regulam literaliter non obſeruat, non propterea cauſanda erit, ac ſi mentem Sancti Legislatoris offenderit cum noſtra, ſicut & aliæ Monaſticæ Congregationes non quidem literaliter, ſed ſecundum Regulam viuere profiteantur, alijſque validiſſimis, & efficaciſſimis, vt ſupra allatis rationibus hoc totum factum fuiſſe ſupra demonſtratum fuit. Ad

reliqua, quæ à Chamberienſibus abs re obijciuntur num. 6. § *Nullus extra Ref.* & ſignanter ſuper *vnius, & duarum horarum ſpatium &c.* cum perabundè in reſponſione ad Cenſuram numeri quarti Capitis octaui iam de his ſermo ſit factus, ſuper his diù immorari, nec breuiter cenſemus, ne eadem, pro confutatione ad ſtomachum repetamus.

Numerus primus Capitis 43. pag. 192. Ad horam Diuini Officij &c.
„ *Cum Officium Beatiſsimæ Virginis &c.* -- Qui poſt hymnum di-
„ citur, aut in diurnis Horis ad Gloria Patri primi Pſalmi non ad-
„ fuerit, aut initio Completorij cùm dicitur *Adiutorium noſtrum in nomine Domini* defuerit, in negligentiæ pænam non in locum
„ ſuum, ſed ad eum, qui peccantibus in hoc genere conſtitutus
„ eſt, toti Choro conſpicuus, ſe conferat, ibique ſtans moretur, do-
„ nec Præſes Chori, ſigno dato, poteſtatem ei faciat alijs ſeſe in
„ in Ordine ſuo adiungendi.

CENSVRA XXIII.

Ly ibique moretur donec Præſes Chori, ſigno dato, poteſtatem ei faciat alijs &c. eſt contra Regulam; hæc enim præcipit quod vltimus omnium ſtet, aut in loco conſtituto pro negligentibus, vſque dum completo opere Dei &c. publica ſatisfactione pœniteat.

RESPONSIO XXIII.

Ità declararunt Conſtitutiones tam primò, quam vltimò impreſſæ, atque ideò non eſt deſuper hoc immorandum, cum ſic & non aliter voluere Patres interpræta ri textum, & non ad aliud Congregationem adſtringere, & cum nos non totam Regulam, ſed ſecundum eamdem viuere profiteamur, non debet eſſe locus quærelæ, cum aliæ etiam Monaſticæ ferè omnes Congregationes, modò, & iuxta noſtram methodum declararunt hoc Caput.

„ *Numerus ſecundus Capitis 53. pag. 240.* Non inquietent fratres
„ &c. Plus triduo non liceat hoſpites, etiamſi ſint Artifices in Mo-
„ naſterio habere, ſine conſenſu Capituli Monaſterij &c.

CENSVRA XXIV.

Ly plus triduò videtur eſſe contra Caput 61. Regulæ, vbi dicitur: ſuſcipiatur quanto tempore cupit.

RESPONSIO XXIV.

Hiſce temporibus hoc idem in ſubſtantia ferè omnes Congregationes Monaſticæ, Textum Regulæ, de quo fit ſermo, declarauerunt ſicuti Conſtitutiones noſtræ, tam primò, quam vltimò impreſſæ, ſcili-

ſcilicet vt plùs triduo non liceat hoſpites habere in Monaſterio, eo vel fundamento, quia, vt plurimum, per eorumdem longiorem moram Monachi, & fratres perturbantur, & ſic non offenditur, immò fit iuxta Regulam, quæ vult vt non inquietentur fratres per ſuperuenientes hoſpites; Præterquam quod in hoc Capite S. Pater nihil determinat de hoſpitum longiori, vel breuiori mora, & ſic liberum relinquit locum Monachis, ſeu Abbati illam determinandi ad illorum arbitrium. Hoc idem cautum eſt de Monachis Peregrinis, ſicuti de alijs Hoſpitibus, propter rationes adductas à S. Patre Legiſlatore in Cap. 61. Regulæ videlicet rarò accidit quod etiam iſti, ſicut & alij, ſi non vitioſi, vel ſuperflui dignoſcantur, vltra quàm quod, de quibuſcumque hoſpitibus num. 2. huius Capitis 53. prouidè cautum eſt; ad conſeruandam quamlibet iuſſionem Regulæ, vt etiam plus triduo poſſint hoſpites in Monaſterio habitare de conſenſu Capituli, pænes quod eſt diſcernere an huiuſmodi hoſpites ſint, de quibus S. Pater innuit ad eorum placitum nobiſcum liceat commorari, nec ne? &c.

» *Numerus primus Capitis 56. pag.* 218. Menſa Abbatis cum hoſpi-
» tibus &c. Cum ad diſciplinæ conſeruationem permagni referat
» Superiores omnibus exercitijs Communibus Monaſterij adeſſe,
» ſuoque exemplo alios ad omnes Officij partes, quaſi calcar ad-
» mouere cuiuſcumque Superioris menſa in hac Congregatione
» cum fratribus in Refectorio fit communis. Quod ſi interdum
» contigerit vt Superior cùm hoſpitibus extra Refectorium cibum
» capiat, quod per quam rarò ſit, quantum fieri poterit Monachum
» adiunctum ſibi ſemper habebat. Rectè etiam faciet ſi nonnun-
» quam manens ipſe in Refectorio, duos, vbi multitudo Conuen-
» tus ſinit, ad hoſpites mittat, vt cùm ipſis accumbant.

CENSVRA XXV.

Hæc Conſtitutio offendit Caput Regulæ prædictum 56.

RESPONSIO XXV.

Hoc Caput 56. Regulæ ab omnibus ferè alijs Monaſticis Congregationibus interpretatum eſt, vt tàm à primò quam ab vltimò impreſſis Conſtitutionibus noſtris, nimirum, vt menſa Abbatis ſit communis cum Monachis; Experientia etenim rerum magiſtra liquidò oſtendit quod omnia ad Monaſticam vitam ſpectantia, ſeruantur, ac diligentius cuſtodiuntur, vbi Prælati præſentia adeſt; Siquidem in caſu noſtro, & Pater carnalis in vna, & eadem

 cum

cum ſuis filijs menſa comedens, non ſolùm maiorem erga illos miniſtrat dilectionis affectum ijſdem cibis cum eis vtens, ſiue bonis, ſiue malis, aut mediocribus, verum etiam facit vt modeſtius ſe habeant. Nec obſtat ſi tempore Diui Patris Benedicti ſeorſum ab alijs Abbates comedebant, quoniam id forſan fieri poterat ob hoſpitum multitudinem vndique aduenantium, aut ob aliam cauſam rationabilem; hoc vnum tamen notandum eſt quod eis vetitum non erat, cum voluiſſent, communem etiam menſam ſequi. Verum, vt nunc noſtris temporibus ſi literaliter, & ſemper Abbates ſeruarent hoc Caput Regulæ, Summorum offenderent Pontificum Decreta, quibus, iuſtis de cauſis cautum eſt inter alia, vt Prælati quicumque accumbant cum fratribus ſuis.

Numerus ſecundus Capitis 58. pag. 236. tit. De impedimentis in hac Congregatione recipi prohibentibus.

„ Impedimenta præcipua, quibus arcentur homines ab hac Congre-
„ gatione ſunt vndecim. Primum eſt ætas maior aut minor æquo,
„ quod ita intelligatur. Si quis vult admitti in Ordinem Clerico-
„ rum huius Congregationis, ſit ſeptemdecim annis expletis mi-
„ nor, aut quadragintaquinque maior &c.

CENSVRA XXVI.

Lyſi ſeptemdecim annis expletis minor &c. videtur contra Concilium Tridentinum, quod requirit pro Profeſſione facienda, tantum ſexdecim annos expletos, & nos requirimus ſeptemdecim annos, vt recipiatur.

RESPONSIO XXVI.

Tam vltimò, quam primò impreſſæ Conſtitutiones noſtræ hoc idem decernunt, ſcilicet vt nemo ſuſcipiatur ad habitum Clericorum, niſi infrà annum decimum octauum, quod ijſdem met ferè verbis, & conditionibus olim Capitulum Generale Ordinis noſtri anno 1196. ſtatuerat, prout refertur in *Onomaſtico Ciſtercienſi pag. 336.* & quod etiam tàm mendicantes, quam non mendicantes Religiones, paucis exceptis, idem ferè ſanxerunt, & tantùm abeſt vt huiuſmodi Conſtitutio aduerſetur Sacro Tridentino Concilio, quin potius eidem faueat, cùm per Sanctam Synodum *ſeſſ. 25. de Regularibus* liquidò appareat, præſertim Cap. xv. vbi nulla, & irrita declaratur Profeſſio facta in quacumque Religione, tam Virorum, quam Mulierum ante decimumſextum annum expletum, & per hoc Decretum damnatur ritus præteritorum temporum, quibus in mino-

minori ætate apud quaſdam Congregationes, ſeù Ordines huiuſmodi Profeſſiones immaturè, & parum rationi conformes emittebantur, ac perinde Concilium libertati, & maturitati rei magni momenti conſuluit; decernendo vt ſaltem Profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum completũ, & conſequenter noſtra quodammodo Conſtitutio fauet Concilio, vtpotè quæ ad melius deliberandum de totius vitæ ſtatu ſubeundo, maiorem requirat ætatem, qua melius ſibi poſſit conſulere ſuſcipiendus. Præterquam quod præfato, Opponentes, & Contradicentes numero, conuincuntur, vel non legiſſe, vel non benè percepiſſe Conſtitutionem Clementis Papæ Octaui editam die 19. Martij 1603. incipien. *Cum ad Regularem diſciplinam* §. *Quiſquis recipiendus in aliquo Ordine Regulari, etiam Mendicantium, in ea ſit ætate conſtitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, Regularia Inſtituta, & Ordinationes requirunt*. Ex quibus verbis clarè conſtat poſſe, & potuiſſe Capitulum Generale, abſque vmbra offenſionis circa Decreta Concilij ſtatuere pro ſuſcipiendis ad habitum Clericorum, ætatem infra decimum octauum annum.

Vndecimum impedimentum &c. pag. 237. Si alterius Religionis habitum, vel ad modicum tempus geſtauerit, & Profeſſio illorum, qui hoc vltimum Impedimentum reticuerint ſit ipſo Iure irrita, & inualida.

CENSVRA XXVII.

Ly vndecimum impedimentum ſi alterius Religionis &c. eſt delendum, quia eſt contra Ius commune, nec poſſumus nos, qui habemus Papam Superiorem, ſtatuere impedimenta dirimentia, ly vt ipſo Iure nulla Profeſſio, & è Congregatione expellatur, eſt etiam contra Concilium Tridentinum. Sunt enim ſeruanda Decreta Summorum Pontificum ſuper his eſt etiam contra finem, propter quem eſt inſtituta hæc noſtra Congregatio, qui eſt, vt per eam alij Monachi S. Benedicti poſſint reformari.

RESPONSIO XXVII.

Abſolutè cum Bordono *reſ.* 149. *num.* 148. 149. &c. Negamus huiuſmodi Impedimentum vndecimum eſſe contra Ius commune, quo circa vnaquæque Religio, vt idem Bordonus ait ibidem, poteſt apponere huiuſmodi Impedimenta, & inter alias Religio Clericorum Regularium Minorum, vt videre eſt in Conſtitutionibus *par.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. Quod etiam comprobatur per Patrem Caſſianum à S. Eliſeo *lib. Arb. Ver. Ætas* §. 2. *num.* 9. vbi dicitur quod

Profeſſio emiſſa poſt annum decimum ſextum adeo tenet, vt non obſtet ſtatutum exigens ætatem maiorem in aliqua Religione, *dummodo tale Statutum non ſit irritans*, & noſter D. Bartholomæus à S. Fauſto *quæſt.* 234. inter alia inquit: Quæ de neceſſitate requiruntur ad Profeſſionem, eſt etiam vt non habeat aliquod Impedimentum, *quod in ea Religione habeatur eſſentiale*, ergò poſſunt conſtitui impedimenta irritantia, & conſequenter huiuſmodi impedimenta non ſunt contra Ius commune, non obſtantibus rationibus ex aduerſo adductis, cum nec Concilium Tridentinum, nec Decreta Apoſtolica prohibuerint Regularibus huiuſmodi impementa ſtatuere [illegible]

Nec hæc conſtitutio eſt contra finem, propter quem inſtituta eſt noſtra Congregatio, quæ vtique inſtituta fuit vt Ordo Ciſtercienſis, & non Monachi Benedictini, reformarentur. Præterquam, quod quando etiam quicumque ex Ordine Benedictino, vellet reformari, æque ac in noſtra, poſſet habere intentum in alijs Monaſticis Congregationibus reformatis, non habentibus prædicta impedimenta irritantia. Vltra quam, quod de facili fortè etiam Benedictini ingreſſum haberent ſi ita, ſicuti de Ciſtercienſibus noſtris, videretur Abbati Generali, cum aſſenſu eorum, quorũ de iure eſt expedire, & declarare vſque ad Capitulum Generalem hanc Conſtitutionem; iuſtis & rationabilibus de cauſis, puta, ob merita, & virtutem petentis ingredi noſtram Congregationem.

„ *Numerus decimus tertius capitis præfati* 58. *pag.* 246. *tit.* Quonam
„ in Monaſterio debeat habitu indui, quidque facere debeant toto
„ tempore Nouitiatus.

„ In quacumque Prouincia &c. -- Poſſit iuxta Concilium Tridenti-
„ num aliquid ab ipſis Nouitijs, aut eorum propinquis &c. pro eo-
„ rum victu, & veſtitu tempore probationis dumtaxat accipi &c.

CENSVRA XXVIII.

Ne autem peccetur contra Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Regularib. cap.* 16. à Nouitijs nihil recipiatur in initio Nouitiatus, ſed media pars penſionis pro victu, & veſtitu poſt ſex menſes elapſos tantum accipiatur, alia verò pars poſt Profeſſionem, nec quicquam aliud percipiatur ante Profeſſionem, quo difficilis reddatur Nouitio diſceſſus, vel Religioni eiuſdem expulſio, ne anathema huius capitis incurratur.

RES-

Legenti, examinanti, etiam non admodum attentè prædictum XIII. numerum, apparet iudubiè ſcrupoloſitas Conſtitutionis etiam in hoc, quare non eſt multum immorandum in Cenſuræ huiuſmodi ſcrupoloſitate, cum ſuperflua videatur cautela; præterquam quod legant opponentes Decreta Sacræ Congregationis ſuper ſtatu Regularium de mandato Sanctiſſimi D. N. Alexandri Papæ VII. pro recipiendis Nouitijs edita, inſerta ijſdem noſtris Conſtitutionibus pag. 398. §. *Illud verò omnino cauendum erit ne à volentibus ingredi Religionem pro ipſo ingreſſu nec poſt ſuſceptum habitum pro admiſſione ad Profeſſionem, vel alio quocumq; prætextu*, excepto victu, & veſtitu Nouitij illius temporis *quo in Probatione eſt*, *ab ipſo, uel eius parentibus, aut propinquis, uel Curatoribus aliquid accipiatur, ſub pænis &c.* & ex ſe ipſis videbunt, & cognoſcent ſuperfluum eſſe quod dicunt, cum noſtræ Conſtitutiones numeio præfato xiij. & Decreta allegata §. mox citato, ſatis ſuperque demonſtrent, & oſtendant reuerentiam,& obedientiam debitam Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino &c.

„ Numerus 30. capitis prædicti 58. Donati poſt omnes Monachos
„ vltimum locum ſemper teneant &c. — Si quis eorum recipi pe-
„ tat ad ſolemnẽ Profeſſionem, non immutato habitu, præuio Pro-
„ bationis anno, admittatur dummodò per decennium laudabiliter
„ in Congregatione vixerit, vel poſt quinquennium, ſi cum eo
„ Abbas Generalis de ſuorum Conſiliariorum conſenſu, diſpenſa-
„ uerit &c.

CENSVRA XXIX.

Facere eos profiteri ſolemniter in eodem habitu eſt contra Sacros Canones cap. ne nimia de Religioſ. domib. & cap. Religionum eod. tit. in ſex. Cum nulla ſit pro eis Regula,& ſic eſt quædam ſpecies Religionis non approbatæ.

RESPONSIO XXIX.

Miramur quod tanti homines proferant Profeſſionem ſolemnem Donatorum, non immutato habitu, eſſe contra Sacros Canones, allegatos, cum Canones huiuſmodi prohibeant ne noua hominum in communi viuentium Congregatio etiam tribus votis adſtricta, pro Religione habeatur, niſi accedente Romani Pontificis approbatione, & cauſam horum Canonum condendi dedero Valdenſes hæretici,

tici, paulò ante tempora Innocentij Papæ tertij vt refert Tamburinus *de Iure Abbatum tom. primo diſput. 2. quæſt. 13.* Canones ergo prædicti citarentur ad commodum opponentium, *quandò omnes Donati* diſcederent à Congregatione, & de per ſe viuerent in vnum etiã tribus votis adſtricti, & tunc huiuſmodi Congregatio vocaretur Donatorum, nec pro Religione habenda foret, niſi accedente Romani Pontificis approbatione. Verũ in caſu noſtro Donati etiã ſolemniter Profeſſi non conſtituunt aliquam Congregationem aut Religionem nouam, ſed per ſolemnem Profeſſionem, ſtabilitatem profitentur in Congregatione, & Religione iam approbata, quæ more aliarum, conſtat Clericis, & laicis, ſiue Conuerſis aut Donatis, ſiue Oblatis. Perlegant, deprecamur Chamberienſes, Inſtitutiones ſuper receptione, & educatione Nouitiorum editas à Clemente Papa Octauo incipien. &c. Cum ad regularem diſciplinam. &c. & fatebuntur Donatorum ſolemnes Profeſſiones in eodem habitu, relinqui in praxi, & iuxta cuiuſque Ordinis peculiares Conſtitutiones præciſis verbis. *Et quia quarumdam Religionum moris eſt ne dum Conuerſos ad Profeſſionem admittendos, verùm etiam, & Oblatos, vt vocant, circa ipſorum Oblatorum receptionem, vnaquaque Religio ſuas peculiares Conſtitutiones, ſpecialjaque Inſtituta obſeruare teneatur.* Inſuper *ſi hæc non ſufficiant*, addimus ſpecialem acceſſiſſe ad maiorem abundantiam, S. Sedis deſuper hoc obiecto conſenſum, vt ex Actis *lib. Q. D. pag. 21. & 22. ſeq. &c.* & toties quoties nouæ accedunt licentiæ ad habitum ſuſcipiendi Nouitios, datur etiam huiuſmodi facultas à Sancta Sede, & ſic opponentes poterant, & poſſunt abſtinere huiuſmodi ſcrupoloſitate, & contrauentione prætenſa Sacrarum Sanctionum, & Canonum; eo etiam vel maxime quia in ſubſtantia idem decernunt Conſtitutiones Congregationis Fulien. ſicuti Noſtræ vtſupra.

Caput ſexageſimum primum.

„ Numerus primus multi ſæpe &c. -- Vt autem ſemper ab hoc malo
„ Congregatio noſtra ſeruetur immunis, decernimus quod alterius
„ Religionis Profeſſi, noſtra Ciſtercienſi excepta, nullo modo inter
„ nos recipi poſſint, ſitque illis omnino ad nos aditus interdictus
„ &c.

CENSVRA XXX.

Huiuſmodi prohibitio eſt nimis abſoluta; debet ſaltem ſeruari reuerentia Vicario Chriſti, Generaliſſimo noſtro, & poſt ly aditus interdictus

terdictus addere ſic: niſi ſpecialem conceſſionem à Summo Pontifice obtinuerint &c.

R E S P O N S I O XXX.

Prohibitio controuerſa eſt conformis ferè alijs omnibus Congregationibus Monaſticis, & ſignanter Montis Oliueri Monachorum, in quorum Conſtitutionibus, ſeu Declarationibus cap. 61. Regulæ hæc tantummodò, & præcisè habentur nempe. --

Alterius Congregationis regulares non admittantur.

Verùm ſicut aliæ Congregationes non cauſantur de irreuerentia erga Sanctam Sedem ob prædictam prohibitionem, nulla facta mentione Romani Pontificis, ità nec noſtra cauſari debet in pari caſu, & re. Superuacaneum planè, & ridiculum foret, ſi Regulares ſingulis in Conſtitutionibus prohibentibus aliquid, ſemper deberent toties quoties recitare cantilenam illam ſeù clauſulam, *ſalua ſemper auctoritate Sedis Apoſtolicæ*; Sufficit enim vt quandoquè hæc, vel conſimilis addatur particula, ad oſtendendam reuerentiam debitam Romano Pontifici, Chriſti Vicario, noſtroque, & omnium Generaliſſimo, quod quidem factum eſt, & obſeruatum à noſtris Conſtitutionibus cap. 5. num. 6. pag. 68. Nemoq; non nouit Summum Pontificem eſſe Generaliſſimum omnium Religionũ; ac propterea penès illum reſidere plenitudinem poteſtatis innouandi, irritandi, & à fortiori diſpenſandi ab his, quæ decernuntur per quæcumque Capitula, ſiue Prouincialia, ſiue Generalia &c.

Caput ſexageſimum ſecundum.

» Numerus ſeptimus. *Ad Presbyteratum promoti ne antea* celebrent,
» quam Cæremoniarum Miſſæ totam rationem idonea meditatione
» percalleant &c. -- quotidie quilibet Sacerdos, niſi impedimen-
» to aliquo detentus, ab ipſo Superiore approbando, celebret: non
» Sacerdos autem ſingulis diebus Miſſam audiat &c.

C E N S V R A XXXI.

Ly, niſi impedimento ab ipſo Superiore approbando, videtur nimis durum, & contra Decreta Clementis Octaui, quibus prohibetur Superioribus ne adſtringant ſuos Subditos ad ſibi confitendum; quando enim erit impedimentum animæ, Superior non poterit illud approbare, niſi ſibi pateſiat.

RE-

Ad præcauendos in poſterùm, & ad tollendos nonnullorum Monachorum abuſum, qui ſenſim irrepſerat, quo innumeri ingerebantur ſcrupuli ob abſtinentiam à celebratione Miſſæ, notatum numerum, ſeù Conſtitutionem ſancire pernece ſſarium fuit, *ſcilicet quotidiè quilibet Sacerdos, niſi impedimento, vſupra &c.* celebret; Hoc etiã cautum eſt ne ad arbitrium, Sacerdotes futuris temporibus celebrarent, & ab effectibus ſeù fructibus qui à quotidiana deuota, & frequenti celebratione percipiuntur, priuarentur. Quod autẽ præfata prohibitio non offendat Decretum Clementis Octaui emanatum die 26. Maij 1593. patet, quià ibi tantum præſcribuntur caſus, quos ſibi reſeruare poſſunt quicumq; Superiores Regulares, & quod ipſis Superioribus non liceat Confeſſiones audire Subditorum, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint &c. & quando impedimentum erit animæ, non eſt neceſsè indiuidualiter, & in foro Sacramentali illud patefacere Prælato, ſed extrà, & iuxtà Regulam *cap. 7. de humilitate §. Quintus &c.* vbi Sanctus legiſlator inter alia, quæ Monachũ quintum gradum humilitatis poſſidere declarãt, extat etiam, *ſi omnes cogitationes malas cordi ſuo aduenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa, per humilem confeſſionem* (extraiudicialem) *Abbati non celauerit ſuo*. Diximus per humilem confeſſionem extraiudicialem, & non Sacramentalem, quia ab initio, & de tempore Diui Benedicti, & retroactis primis ſæculis non erant omnes Abbates Sacerdotali inſigniti caractere; quo circa dicendum eſt Sanctum Patrem legiſlatorem per ly humilẽ confeſſionem intellexiſſe non Sacramentalem, ſed merè confeſſionem, ſeù manifeſtationem ſecretam Abbati ſuo faciendam, quod comprobatur cap. 46. Regulæ, vbi habetur: *ſi animæ verò peccati cauſa latens fuerit, tantum*(Monachus delinquens) *Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus patefaciat, qui ſciant curare ſua, & aliena vulnera non detegere, aut publicare*. Quibus verbis euidens eſt ly per humilem confeſſionem intelligi debere de manifeſtatione ſtatus animę extra confeſſionem, & ſic intellexiſſe Sanctum Patrem Benedictum cap. 7. & loco cit. Quod idem ferè eſt quod noſtræ Conſtitutiones cap. 2. num. 7. pag. 48 Monachis præſcribunt, illis videlicet verbis: *Quomodo quiſquis fratrum ſuorum tempus, & horas collocet, exquirant diligenter, atque cognoſcant. -- ac propterea teneantur ſubditi ſemel ſaltem in menſe Superiorem ſuum immediatum, adire de rebus ſpiritualibus tractandi cauſa*. Præterquamquod non eſt neceſsè vt pro impedimento animæ, cui poteſt remedium præſtari per Sacramentalem ſaltem indirectam abſolutionem, quis abſti-

neat

Digitized by Google

neat à celebratione Miſſæ, & quamuis fiat caſus poſſibilis, non deberet dubitare, nec debet Sacerdos aliquo deuinctus impedimento animæ, illud vel in genere manifeſtare extrà Confeſſionem Prælato, qui vtique cenſendus eſt talis, qui, vt ait mox citata Regula, ſcit, & ſciet *curare ſua, & aliena vulnera, non detegere, aut publicare*. Verum vt vt res ſe habeat, huiuſmodi numerus non videtur, nec eſt contra Decretum allegatum Clementis Octaui, & ex adductis, & quia apud noſtros Ciſtercienſes cap. 55. Conſtitutionum punitur, qui à celebratione vacauit *abſque legitima cauſa Prælato notificanda*: & in Regula, & Conſtitutionibus generalibus Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis, & redemptionis captiuorum, à S. Sede &c. confirmatis cap. 11. §. 3. habetur: *Sacriſta diligenter inquirat an Miſſæ ſint adimpletæ à Patribus, quibus eas commendauit, quæque cauſæ extiterint ob quas eas dicere aliqui prætermiſerint*. Qui textus fideliter deſumpti comprobant noſtram Sententiam, ſcilicet quod numerus ſeptimus notatus ad ly *quotidie quilibet Sacerdos, niſi impedimento aliquo detentus ab ipſo Superiore approbando, celebret, non ſit*, nec videtur contra recenſita Decreta Clementis Octaui, immò mirificè fauet Sacroſancto Concilio Tridentino ſeſſioni, & capite quibus cauetur arcta cuſtodia ſubſtantialium, ſeu votorum, cum per hunc numerum Monachi Sacerdotes memores oneris quotidianæ celebrationis, ſobriùs, & caſtiùs viuant, ne ſaltem frequenter, ſi animæ eſſet impedimentum, tenerentur petere approbationem à Superiore &c. & vtinam hæc Conſtitutio vigeret apud omnes Sacerdotes tàm Regulares, quàm ſæculares; & ijdem profectò dignoſcerentur, ſi non aurei, vel argentei, puritate, vel non adeo tepidi &c.

Caput ſexageſimum tertium.

„ **Numerus ſecundus. Poſt Aſſiſtentes extra Capitulum Generale**
„ **ſequantur Viſitatores Prouinciales &c. -- Ob prærogatiuam ta-**
„ **men actualis regiminis, quilibet Viſitator Prouincialis in ſua**
„ **Prouincia, Viſitatores Prouinciales cæteros, & Abbas, ſeu Prior**
„ **in proprio Monaſterio, & in Ciuiuate, & Oppido, in quibus Mo-**
„ **naſteria ſita ſunt, cæteros Abbates, ſeu Priores reſpectiuè præce-**
„ **dent.**

C E N S V R A XXXII.

Ly ob prærogatiuam &c. vſque ad ly præcedent eſt contra Vrbanitatem, & regulam in pluribus locis.

RE-

Hanc ſoluunt quæſtionem Caſſinen., Vallumbr., Ciſtercien., & Cæleſtinorum Congregationes, quæ non ſecus ac noſtra ſtatuerunt quod ob prærogatiuam actualis regiminis quilibet Viſitator, aut Prouincialis in ſua Prouincia Viſitatores cæteros, & Abbas, ſeu Prior in proprio Monaſterio &c. cæteros alios Abbates, ſeu Priores reſpectiue præcedent, in locis præſertim publicis, & quibus adeſſe ſolet totus Conuentus, nec huiuſmodi Conſtitutio eſt contra Regulam, quæ de huiuſmodi neq; conſimili Controuerſia tractat, vt vidimus, & cum ſit quod prædictæ Congregationes ab vrbanitate laudantur, & meritò, non obſtante conformi Conſtitutione, de qua in numero citato, ergo vel, & nos ab inurbanitatis nota, & contrauentione Regulæ ab opponentibus liberatati debemus.

„ Numerus tertius eiuſdem Capitis. In quoque autem Monaſterio
„ hic ſit Ordo: Secundus à Superiore, ſiue Abbas ſit, ſiuè non,
„ Abbas Titularis, ſi aderit, cæteros antecedat, poſt hunc, ſi Supe-
„ rior Abbas fuerit, Prior, ſi minus Supprior &c.

CENSVRA XXXIII.

Abbates Titulares, qui nõ ſunt facti vi Conſtitutionis Gregorij XIII. non debent præcedere Suppriores; eſt enim iniuſtitia, cũ Suppriores habeant actualem Iuriſdictionem.

RESPONSIO XXXIII.

Illæ etiam Congregationes mox citatæ præſentem decidunt Cenſuram, cum per ipſarũ Conſtitutiones Exgenerales, quos vocamus, vel Abbates emeritos, vel quarti generis, quinimmò inter Cæleſtinos, & Montis Oliueti Monachos, Abbates etiam locales præcedunt excepto Prælato Monaſterij in quo principalem, & actualem reſidentiam habent; & ſicuti hæ Congregationes non debent vri notà iniuſtitiæ, quia ſic, & non aliter decreuère ad normam quoque Sanctæ Regulæ cap. 63. nimirum: *Ordines ſuos in Monaſterio ita conſeruent, vt conuerſionis tempus, & vitæ meritum diſcernit, utque Abbas* (notent Chamberienſes) *conſtituerit*, ita &c. nec noſtra Congregatio eadem vri notà non debet; Numquid non merentur hanc prærogatiuam Abbates emeriti, ſeu quarti generis, qui totius Gongregationis eſſe Patres, & Abbates Generales meruerunt? Vltra quam quod abſolutè negatur quod Priores Clauſtrales, aut Suppriores ſtrictè, & propriè Iuriſdictionem habeant, niſi in caſibus exceptis, prout in cap. 2. Conſtitutionum num. 21.

pag.

Digitized by Google

pag. 36. vbi habetur quod huiuſmodi Abbates etiam cum præcedentia ſupra Suppriores (niſi quando abſente Priore Officio Prioris funguntur) teneant locũ, & prout in Decretis confirmatis num. 7. quia tunc Abbates præfati locum cedunt, iuxta prædicta Decreta, & num. 21. incipien. &c. Volumus autem &c. Prioribus Clauſtralibus, vel Supprioribus, qui reuera tempore illo habere Iuriſdictionem plenam, nec antea, nec alijs in Caſibus declarantur, & cenſentur &c.

Caput ſexageſimum quartum.

" Numerus primus. In Abbatis Ordinatione &c. -- Electio tum
" Abbatis Generalis, tum aliorum quorumuis Superiorum in Ca-
" pitulo Generali modo ſeparatim deſcripto.

C E N S V R A XXXIV.

Defectus Diſcretorum eſt vna ex præcipuis obiectionibus opponentium contra Superiores, & Profeſſiones videndum eſt an ſubſiſtant conſiderationes vt infra. Neceſſitas reponendi Diſcretos patet primo quia Sac. Can. Abbatem, & quam ſit 18. q. 2. habent Ius Monachi eligendi ſuum Superiorem. Secundo quia ex cap. 3. Regulæ: Quoties aliqua præcipua agenda ſunt, conuocari debet omnis Congregatio; præcipua autem ſunt electio Abbatis Generalis, & Superiorum maiorum, ex qua pendent omnia alia Congregationis, Illa etiam quæ tractantur in Capitulo Generali præcipua ſunt, vnde ad hæc concurrere Ius habent Monachi à Regula, & cum ſinguli ad Capitulum Generale proficiſci non poſſint, per Diſcretos à ſe miſſos concurrere debent. Tertio ex d.cap.64. Regulæ idem Ius habent Monachi, vbi dicitur: *In Abbatis ordinatione illa ſemper conſideretur ratio, uel hoc conſtituatur quem ſibi omnis concors Congregatio ſecundum &c. elegerit.* Quarto quia omnes, qui debent, volunt, & poſſunt concurrere, vocandi ſunt ſecundum Sac. Can. de elect. cap. Quia propter, & multa alia capita. Quinto Conſtitutio Gregorij XIII. acceptatur pro Abbatibus Titularibus faciendis; debet ergò etiam acceptari pro Diſcretis eligendis. Sexto quia Iniuſtitia maxima eſt punire aliquem Innocentem, aut ſine culpa; Puniuntur autem Innocentes, & ſine culpa Monachi quamdiù auferuntur Diſcreti, quià priuantur voce actiua, quam habent in omnibus præcipuis, & electionibus vtſupra.

Nec valet dicere, quod Diſcreti extincti fuerunt à Summo Pontifice Clemente Papa Decimo fel. rec.

Primo

Primò quia reducti fuerunt ad duos pro Prouincia à quadam Dieta anni 1664. non verò à Summo Pontifice.

Secundò Breue Clementis X. manifeſtè ſurreptitium eſt, quia non fuit ipſi ræpreſentatum, quod hæc Conſtitutio Diſcretorum mittendorum à quouis Monaſterio, erat ſubſtantialis quod conformis Regulæ, & Sac. Can. vnde non apparet in eodem Breui aliqua derogatio Regulæ, vel formæ electionis ſtabilitæ in Concilio Generali Lateranenſi. Surreptio apparet etiam ex ſupplici libello Sanctiſſimo exhibito, in quo fit tantum expoſitio expenſarum, & Diſcreti ſupponuntur inutiles, quod eſt euidenter falſum, cum non poſſint aliter ſaluari Regula, & Conſtitutiones, nec haberi Canonica electio.

Ex defectu Diſcretorum Chamberienſes colligunt electiones à cap. 1667. in Congregatione factas nullas fuiſſe, quia non fuerunt vocati qui debebant, volebant, & poterant intereſſe ex capite Quia propter; quod ſicut, in cap. Geneſi, extra de elect. nec vllus cōſenſus, aut tractus temporis ſuffragatur, cum Regula cap. 64. contrarium præcipiat, & formam in electione Superioris ſemper tenendam præſcribat.

Colligunt inde Profeſſiones ſolemnes ab eodem anno 1667. in Congregatione factas, eſſe irritas, & inualidas, quia Superiores qui illas exceperunt, non poterant incorporare Congregationi quia non erant legitimi Superiores: vnde hi Profeſſi nulliter, nōn poſſunt eſſe Superiores cap. Nullus de elect. in 6. nec poſſunt habere Iuriſdictionem ſpiritualem, quia hæc non eſt conceſſa à Summo Pontifice niſi legitimè Profeſſis, & Canonicè electis, ſecundum omnes Auctores.

Colligunt etiam ex defectu Diſcretorum, nulla fuiſſe Capitula Generalia ab anno 1664. & inualida quæ in eis facta, & hoc ſemper perſuaſum fuit in Congregatione, vt patet ex Breui Pauli V. incipien. &c. *His quæ* pro nobis, & pro extinctione Diſcretorum Monaſteriorum paruorum, edito anno 1620. quo pariter conſtat quod Capitulum Generale ex ſe ſolo non poteſt eorum numerum validè reducere, & quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet: Decreta autem, electiones &c. omnes tangunt.

Nec poſſunt augeri, vel minui Vota, & Profeſſiones Monachorum ſine eorū voluntate, vt clarè, & lucidè S. P. *Bernardus docet. cap.* 4. *& 5. lib. de Præcept. & diſpenſat.*

Tantæ neceſſitatis volunt eſſe Monachi Chamberienſes Diſcretos, quod ſi aliquo modo non manuteneantur, *ſuſtinent* ſemper nulla, & inualida quæcumque fiunt; & Nouitij ſemper decipiuntur, vel auferenda ſunt à Regula Sancti Benedicti, quam profitentur cap. 3. & 64.

RE-

Deuenimus tandem ad locum, in quo Chamberienſes inſiſtentiæ ſuæ, cæterorumque in Congregatione prætenſorum errorum, & nullitatum potiſſimum fundamentum deſumunt, & proteſtantur, quouſque videlicet Diſcreti denuo, vt in antea, Generalibus Comitijs non interfuerint iuxta prætenſum Ius quæſitum creandi, & eligendi ad formam antiquam vigore Sac. Can. & Regulæ, prout ex adductis in Cenſura ſupradicta &c.

Verùm ad tantam eueriẽdam molem paulò copioſius noſtra protendetur Oratio, vt diſtinctè, & qua decet claritate, opponentium circa præſentem Theſim argumentorum, ſeu fallaciarum potius, aereas rationes Iuris quæſiti, vt autumant, eligendi Diſcretos, penitus eneruare, eruere, & extirpare poſſimus.

In primis, nec Sacri Canones, nec Sancta Regula dat Monachis Ius eligendi Diſcretos, ſed tantummodò quia de tempore D. Benedicti, & donec aliter à Romanis Pontificibus prouiſum fuerit, vt comprobatum habuimus ſuo loco in reſponſione ad huiuſmodi Cenſuram *ſupro pag.46.* quodlibet Monaſterium regebatur de per ſe abſque vlla dependentia vnius ab altero,& ſic Canones,& quæque Iura Pontificia reclamabant, & promulgata fuère ad compeſcendas prætenſiones nonnullorum Epiſcoporum dictitantium ad ipſos ſpectare electiones Prælatorum, ſeu Abbatum Monaſteriorum ab ipſis, virtute Priuilegiorum independentium. Ita Cap. *Hoc tantum.* Cap. *Abbas.* Cap. *Abbatem.* Cap. *Quam ſit.* Cap. *Luminoſo.* Cap. *Pridem.* Cap. *Abbas.* Cap. *Nullam &c.* & Cap. *Quia propter.* & Cap. *In Geneſi.* (loquuntur de peculiaribus electionibus, tam Epiſcoporum, quàm aliorum Prælatorum,etiam Regularium, quorum vt diximus electiones ad Monachos ſpectabat; Immo Gloſ. in Cap. *Quia propter dicit non eſſe de ſubſtantia electionis* (NOTET CHAMBERIENSES) *quod quilibet ſit vocandus qui commodè vocari poſſit, vt alioquin ſit caſſanda electio; nam ſufficit ſi non vocati conſentiant.*

Cùm igitur electio Prælatorum Regularium non amplius fiat à Monachis Monaſteriorum; quibus reſpectiuè præficiendi ſunt Abbates, ſeu alij quoquomodo vocandi Superiores iuxta Priuilegia, & Decreta Summorum Pontificum, vt alibi adnotauimus, quodlibet Ius amiſerunt ſubditi proprium eligendi Prælatum, quod vnicè habebant ex vi Can. citatorum, & Reg. *Cap. 3. & 63.*

Hoc communiter verificatur in omnibus Monaſticis Congregationibus,& ſignanter in noſtra mandato ſpeciali Clementis PP. VIII. fel. rec. quo iuſſit vt tertio quoque anno in eadem Congregatione

Capi-

Capitulum Generale celebraretur, atque ibi Superiores, ſeu Vocales Capitulares, Generalem, & reliquos Prælatos reſpectiuè eligerent, &, *quod notandum eſt* nulla facta mentione alicuius Monachi particularis, aut Diſcretorum, ſeu Procuratorum, aut aliorum nuncupandorum nomine cuiuſuis Monaſterij Comitijs Generalibus aſſiſtendorum, ſed habetur quod prædictis Capitulis interſint tantummodo Superiores, vt videre eſt in libro Q. A. *pag.* 3. *&* 11. *&c.*

Verùm quia ab initio Congregationis exiguo etiam numero reperiebantur Domus, & quia de anno 1595. Conſtitutiones efformandæ, condendæ, & edendæ in toto erant, Reuerendiſſimus Pater D. Ioannes à S. Hieronymo, qui Diplomate prædicti Pontificis ſub nomine Vicarij Generalis Congregationem regebat, operæ pretium duxit propria auctoritate vt Diſcreti à ſingulis Conuentibus eligerentur, forma ab ipſo præſcripta ad effectum cum cæteris Superioribus Capitulo Generali intereſſendi, hocquè patet ex litteris Intimationis ad Capitulum prædictum de anno 1595. celebrandum datis Romæ die 26. Nouembris 1594. eodem in lib. Q. A. *pag.* 95.

Hanc deſignationem Diſcretorum Capitulum Generale anno 1595. celebratum reducendam curauit ad normam deſcriptam in Conſtitutionibus primo impreſſis *pag.* 198. *tit. De his qui ſunt in Capitulum Conuenturi* præciſis verbis: *Superior Generalis &c. -- & Superiores ſingulorum Monaſteriorum, in quibus præter Superiorum ſex minimum ſint Vocales*, hoc eſt vocis actiuæ, & paſſiuæ participes, niſi Superior Congregationis propter cauſam diſpenſauerit cum aliquo Monaſteiio adhibitis in Conſilium Senioribus Aſſiſtentibus.

Declarauit nihilominus prædictam Conſtitutionem Capitulum Generale 1601. celebratum ad obuiandũ damnis, & incommodis &c. *Decernendo vt nullum Congregationis Monaſterium, in quo ſex Vocales non eſſent, Diſcretum eligeret, ſed ſcripturas, & alia neceſſaria per vicinioris Monaſterij Diſcretum ad Capitulum Generale mitteret. Quodque omnes Priores eidem Capitulo interuenire deberent; Quod Decretum quoad ſubſtantiam per ſubſequens immediatè Generale Capitulum de anno 1604. habitum, confirmatum fuit*: quæ quidem patent in d. lib. Q. A. *pag.* 241. *&* 278. *&c.*

In Capitulo Generali de anno 1614. alipuid additur contra Diſcretos, videlicet prout *pag.* 344. lib. Q. A. *Propoſitum, & decretum fuit quod nullus Monaſteriorum Superior ad Capitulum proficiſcatur, qui non fuerit ab ipſomet Capitulo Prior electus, neque Diſcretum mittat, etiamſi plures Vocales, quam ſex in Monaſterio habuerit.*

Ex

Digitized by Google

Ex huiuſmodi circa Decretos diuerſimodis ſanctionibus à præſcripto in Conſtitutionibus prædictis, prout *pag.* 198. circa annum 1619. ſub ortæ ſunt nonnullæ, ſed parum fundatæ controuerſiæ (vt in præſentiarum) circa validitatem Decretorum Superiorum Capitulorum Generalium ab anno 1601. ad 1620. excluſiuè; ea propter Reuerendiſſimus Pater Generalis D. Sancius à S. Catharina in primo conſenſu Capituli dicti anni 1620. celebrati, iniunxit vt legeretur Breue Pauli Papæ V. incip. *Ex his &c.* Dat. Romæ die 6. Aprilis eiuſdem anni pro parte dicti Generalis,& Congregationis impetratum ad dirimendas (ita Acta Capituli prędicti lib.Q.A. *pag.* 352.) controuerſias quaſdam, quæ circa nonnulla Decreta vt ſupra, & circa validitatem eorumdem ab anno 1601. vſque ad præſentem annum 1620. *a quibuſdam parum fundatis fratribus in medium prolatæ fuerunt:* Quibus literis in forma Breuis omnia præcedentia Capitula, & Decreta in eiſdem ſancita rata, valida, & confirmata declarantur &c.

Ex huiuſmodi Breuis promulgatione Pars proteſtatur aduerſa aſſerens quod Capitulum Generale ex ſe ſolo inconſulta Sancta Sede Apoſtolica haud valeat quicquam ſtatuere circa reformationem Diſcretorum &c.

Verùm tantum abeſt vt Generali Capitulo per præfatum Breue ablata ſit poteſtas de non innouando aliquid circa Diſcretos, quinimmò eodemmet in Capitulo Generali anni eiuſdem 1620. innouatum eſt Decretum Capituli Generalis anni 1614.*ſcilicet quod nullus Monaſteriorum Superior ad Capitulum proficiſcatur, qui non fuerit ab ipſo Capitulo Prior electus, neq; Diſcretum mittat, etiamſi plures, quam ſex Vocales habuerit.*Ita Acta, ſeu liber Q. A.*pag.*365.

Quod quidem Decretum aduerſatur alteri anni 1601. per Breue memoratum confirmato, quo dicebatur quod nullum Monaſterium, in quo ſex Vocales non reperirentur, Diſcretum eligerent, & his non obſtantibus præfatum Decretum anni 1620. in ſequenti immediatè Capitulo, cui Sanctus Franciſcus Saleſius Epiſcopus Gebennen. auctoritate Apoſtolica de anno 1622. præſidebat, prout eodem in lib. Q. A. *pag.*381. *à tergo,* confirmatum fuit &c.

Placuit nihilominus Patribus Capitularibus, iuſtis forſan de cauſis, hanc eamdem illibatam poteſtatem ad libitum eorum, circa Diſcretos aliquantiſper extendere, & facultatem impertire Monaſterijs nondùm in Prioratum electis, eligendi Diſcretum, ita tamen, vt vniantur cum aliquo reſpectiuè Prioratu, ſeù Vocalibus ad huiuſmodi electionem, & quod ſaltem ſint ſex Vocales ſecundum diſpoſitionem Prouincialis, prout in lib. Q. A. *pag.* 391.

Quod quidem Decretum Capituli Generalis anni 1625. ab imme-

 diato,

diato, & ſubſequenti Capitulo Pariſijs celebrato 1628. abrogatum eſt, iterumque confirmatum, ſeu innouatum fuit quod ſancitum fuerat per ſuperiora Capitula Generalia, ſcilicet *vt noſtra Monaſteria, quæ nondum Prioratus* titulo decorabantur, nec eligerent Diſcretum, quamuis ſex Vocales, & amplius haberent, nec Superiores eorumdem Comitijs Generalibus poſſent, aut deberent intereſſe, prout in lib. Q. A. Acta referenti eiuſdem Capituli Generalis *pag.403. à tergo*, clarè dignoſcitur.

Intereà facta eſt Diuiſio Italorum à Monachis Gallis, & ex vna, duæ efformatæ ſunt Congregationes, prout fuſius in Breui Vrbani VIII. fel. rec. incip. *Ad vberes &c.* edito die 22. Maij anni 1630.

Iterùm, iterùmque non obſtante prædicta Diuiſione mutatio fit circa Diſcretos; Capitulum etenim Generale Romæ celebratum 1633. innouauit Decretum ſupra allegatum emanatum anno 1625. circa præſentem materiam, vt notatur in lib. Q. B. *pag.6. num. 12.*

Atqui nec adhuc quies, & ſtabilitas in electione Diſcretorum; Nam Vrbanus Octauus per litteras in forma Breuis editas die 8. Maij 1640. conſtituit in Congregatione noſtra quinque Prouincias; ea propter mutatur ſiſtema Diſcretorum qui non amplius in ſingulis Prioratibus, vt diſponebant prælibata Decreta Superiorum Capitulorum Generalium, & attenta mox recenſiti Breuis diſpoſitione, ſingulis in Capitulis Prouincialibus duo pro qualibet Prouincia eligebantur Diſcreti, cum ſuis reſpectiuè Superioribus Prouincialibus Generalia Comitia adituri, & ità practicatum fuiſſe docent Acta Capituli Generalis celebrati anno 1645. lib. Q. C. *pag. 4.*

Comparuere tamen iterum Capitulo Gen. celebrato de anno 1648. Diſcreti, quamuis neſciamus qua auctoritate, cum in nullo conſeſſu antecedentis Capituli 1645. iuxta Breue Innocentij Papæ X. Dat. Romæ die 10. Martij eiuſdem anni &c. nec in eodem Breui fit mentio aliqua de innouandis vt antea Diſcretis, nec in Capitulo præfato 1648. aliquid ſtatutum ſit circa præſentem quæſtionem; Attamen Comitijs Generalibus prædictis, & proximè futuris celebrandis de anno 1654. interfuere Superiorum Generalium, vt credimus, beneplacito, & arbitraria facultate.

Verùm in Capitulo Generali anni 1654. non obſtantibus quibuſcumque Decretis, & ſignanter præfato Breui Pauli V. incip. *His quæ &c.* ſtatutum eſt quod attenta alternatiua in electionibus Superiorum maiorum, *ad conſeruandam Votorum æqualitatem in noſtris Capitulis Generalibus ea Prouincia, cuius Prioratuum maior eſt numerus, tot dumtaxat Diſcretos eligat, quot ſufficiunt ad inducendam æqualitatem cum Vocalibus alterius Prouinciæ*, vt videre eſt in lib. Q. C. *pag. 297. num 15.*

Iterum

Iterum iterumque innouatio circa Diſcretos facta eſt in Diæta Generali congregata anno 1664. auctoritate Sanctiſſimi Domini Noſtri Alexandri VII. per litteras in forma Breuis datas die 22. Februarij eiuſdem anni, in qua ſancitur, prout libro Q. D. *pag.* 177. quod in poſterum bini tantum eligantur Diſcreti à ſingulis Prouincijs mittendi ad Capitulum Generale forma, & iuxta præſcriptum in d. Decreto contentum, ad quod &c.

Huiuſmodi Diſcretorum reductionem ad duos pro qualibet Prouincia, confirmauit immediatè ſubſequens Capitulum Generale anno 1667. in Monaſterio S. Io: Baptiſtæ Florentiolæ celebratum, qua confirmatione, huiuſmodi Decretum de reformatione Diſcretorum ad duos pro qualibet Prouincia vim habuit Conſtitutionis, iuxta eaſdem noſtras leges, & Conſtitutiones in Præfatione n. 10. §. *Et cum inpoſterum aliquid noui in Congregatione conſtitutum fuerit, id decretum editurum eſſe, & vim Conſtitutionis habere tunc demùm intelligatur, cum ab vno, & altero Capitulo, nullo alio Capitulo interiecto, continuatis ex maioris partis conuocatorum Patrum Sententia, Decretum, approbatumque fuerit &c.*

Nobis hucuſque tàm diſtinctè viſum eſt deſuper hac Diſcretorum materia diſſerere, vt oſtendatur quo nitantur fundamento oppugnantes in præſenti Theſi, quæ Cardo, & principalior eſt, eorumdem inſubſiſtentium opinionum, ſeu, vt melius dicamus, diſſenſionum, & diſcordiarum in Congregatione.

Ex dictis probatum conſtat nullum Ius Monachos ſingulorum Monaſteriorum habuiſſe eligendi ſuum peculiarem Diſcretum ad Comitia Generalia mittendum, *niſi* ex mera gratia, & libera voluntate primi Vicarij Generalis aſſerti D. Ioannis à S. Hieronymo, & quamuis Capitulum Generale 1595. Conſtitutionem promulgauerit circa Diſcretos eligendos in ſingulis Monaſterijs, prout ſupra dictum eſt, *diuerſimodè tamen* à facultate conceſſa à prædicto Generali Vicario &c.

Conſtat nihilominus dictam Conſtitutionem ſæpe ſæpiùs in ſubſequentibns Generalibus Comitijs ad annum 1667. partim declaratam, reſtrictam partim, partim abrogatam, innouatam partim, quandoque iterum, iterumque reformatam, & immutatam fuiſſe, hoc eſt duodecies ad minimum, poſtremò ad duos Diſcretos pro Prouincia redactos.

Conſtat pariter de conſequenti eſſe falſiſſimum quod in ſuis Cenſuris aſſerunt adeò conſtanter Chamberienſes, videlicet etiam ex defectu Diſcretorum nulla fuiſſe Capitula Generalia ab anno 1664. & inualida quæ in eis facta, & hoc ſemper perſuaſum fuiſſe in Congregatione ab emanatione Breuis Pauli V. prædicti incipien. *His*

qua &c. pro Nobis. & pro extinctione Diſcretorum Monaſteriorum paruorum editi die 6. Aprilis anni 1620. &c.

Conſtat ſiquidem eſſe falſiſſimam, & imperceptibilem huiuſmodi ſeriem nullitatum ex aduerſo aſſertarum, eo vel maximè, quia præfatum Breue editum fuit ad meram inſtantiam Superioris Generalis, aliorumque, & totius Congregationis ad effectum remouendi nonnullorum, vt diximus irrationabiles controuerſias circa Decreta Capitulorum Generalium à 1601. ad annum 1620. excluſiuè, quo circa nil aliud Summus Pontifex peregit, quam iiſdem Apoſtolici muniminis firmitatem, & robur adijcere: Cæterum in ipſomet Capitulo, quo prædictum Breue lectium fuit, & promulgatum, & in alijs ſucceſſiuè diuerſis temporibus celebratis ad vſque annum 1667. quo arbitrio Patrum Capitularium vt viſum eſt, de Diſcretorum electione aliquid noui ſemper, vel additum, vel expunctum, hoc ſatis, & certiſſimum, ſeu indubitatum indicium eſt etiam ad euidentiam, omnes cauillationes ab opponentibus aſſertas euacuandas, & ſignanter illam, qua dicunt *ex defectu Diſcretorum nulla fuiſſe Capitula Generalia ab anno 1664. & inualida quæ in eis facta, & hoc ſemper perſuaſum fuiſſe in Congregatione ab emanatione prædicti Breuis Pauli V. &c. quo prætendunt quod Capitulum Generale ex ſe ſolo non valeat, nec poſſit eorum numerum Diſcretorum validè reducere &c.* cùm euidentiſſimè conſtet oppoſitum, ſcilicet quod ab anno 1664. ad vſque currentem 1698. exceptis dumtaxat Chamberienſibus, paucis ab hinc annis contradicentibus, tota vniuerſa Congregatio, tam Capitula omnia, quam Diætas Generales, & quæ in eis ſancita fuere validiſſima tenuit, & habet; Præterquamquod ex opponentibus duo, nempè D. Antonius à S. Maria, & D. Iacobus à S. Nicolao, qui ambo Prioris munus reſpectiuè obiere in Monaſterio S. Victoris Vercellarum primus anno 1676. alter verò anno 1684. Capitula Generalia eorumque Decreta venerati ſunt, & more ſolito promulgarunt, & ſtatutis temporibus ad præſcriptum Conſtitutionum, vt legerentur, curarunt &c.

Verùm ad alia tranſeamus, & demus (citra præiudicium tamen) quod ex vi conſtitutionum aliquod Ius habuerint Diſcreti Generalibus intereſſendi Comitijs, hoc Ius non aliunde ſiquidem habuère, quam à Vicario Generali primo dicto, & poſteà à Patribus Capitularibus de anno 1595. diuerſimodè tamen confirmatum, vt ex allegatis primò impreſſis Conſtitutionibus &c. loco citato &c. & vt ſupra demonſtrauimus; non per hoc ſequitur quod Ius Monachi habuerint immutabile reſpectiuè eligendi Diſcretum, quia Nos quoque reſpondebimus quod Monachi prædictum Ius habuère,

ſed

ſed ad normam, & præſcritum Conſtitutionum, & conſequenter Ius habuerunt variabile, & ad arbitrium Capitulorum Generalium, & probatur; Nam etiam per Breue Clementis VIII. quo confirmatæ fuerunt prædictæ Conſtitutiones, quibus, vt diximus, fit facultas, vt ibidem &c. Monachis eligendi Diſcretos &c. relinquitur, & ſpecialiter conceditur Capitulis Generalibus (iuxtà tamen præſcriptum earumdem Conſtitutionum) plena poteſtas Conſtitutiones ipſas abrogandi, reſcindendi, aut in aliquo immutandi, vel alterandi &c. & cùm facultas de anno 1595. facta Monachis eligendi Diſcretos, fuerit vna ex Conſtitutionibus approbatis ab ipſomet Clemente VIII. Ergò poterant Capitula Generalia auctoritate ex Priuilegio contento in recenſito Breui illam, ſicut, & omnes alias Conſtitutiones, ſeruata tamen forma &c. abrogare, mutare, vel in parte, vel in toto &c.

Nec obſtat Pauli V. Breue decantatum, per quod ſupponitur ex aduerſo ſuppreſſa facultas circa Diſcretos aliquid innouandi &c. non obſtat, quià prædictum Breue emanatum fuit ad inſtantiam Superiorum, & totius Congregationis in gratiam Capitulorum Generalium, quorum Decreta ab anno 1601. ad 1620. excluſiuè veniunt confirmata, prout ſupplicatum fuerat, ad effectum dirimendi ortas controuerſias, quę à quibuſdam parum fundatis Monachis in medium prolatæ fuère, & eſt *contra torrentem veritatis* adire, aſſerere quod Paulus V. fel. rec. *ſimul, & ſemel* per huiuſmodi Breue quodammodo *benedixerit*, & *maledixerit* Congregationi noſtræ, hoc eſt confirmauerit prædicta Decreta, & ſpoliauerit Capitula Generalia facultate, quam ab initio habebant etiam media auctoritate Apoſtolica Clementis VIII. prout in d. Breui Conſtitutionibus vtriſque inſerto &c. & intrinſeca, ſeu naturali more legiſlatorum mutandi, innouandi, & etiam abrogandi Decreta, de quibus ſupra &c. Præterquamquod eadem doctrina, qua vſi ſumus in probando quod poſſit Capitulum Generale quamlibet Conſtitutionem à ſe factam, licet Apoſtolica auctoritate approbatam immutare, & abrogare, prout ſupra *pag.* 132 præſentem ſoluimus obiectionem, & controuerſiam.

Verùm demus etiam (citra præiudicium) caſum quod Monachi ſemper, & firmum habuiſſent Ius prædictum eligendi Diſcretos, ad effectum Capitulis Generalibus intereſſendi, non per hoc ſequitur quod iuſtis de cauſis non poſſit tolli huiuſmodi Ius abſque nota iniuſtitiæ, & grauaminis à Capitulo Generali.

Pro maiori intelligentia huiuſce quæſtionis notandum eſt cum Bordono *tom.* 4. *par.* 3. *reſol.* 130. quod dupliciter punitur quis voce actiua, & paſſiua, vel aliquo alio Iure ex culpa, & ſine culpa: Quando

Digitized by Google

do adeſt demeritum meritò vtique punitur quando verò interce-
dit rationabilis cauſa, poteſt ſine culpa iure proprio priuari, v. g.
Epiſcopus nouus poteſt legitimè reuocare licentias audiendi Con-
feſſiones, illoſque Sacerdotes huiuſmodi munere ſine eorum cul-
pa priuare; habet enim Epiſcopus rationabilem cauſam nimirum
id faciendi, ob maiorem conſcientiæ ſuæ quietem. Item ob publi-
cam vtilitatem, & ad euitanda incommoda, & expenſas poteſt
Capitulum Generale priuare aliquos Iure intereſſendi Generali-
bus Comitijs, prout in ſua Religione factum eſſe aſſerit idem Au-
ctor; *Priores enim cum ſuis Diſcretis à Capitulo Generali priuati
fuere Iure accedendi ad illud, quamuis illis hoc Ius dabat, & indul-
gebat primum Caput Statutorum, quæ prædicta Religio pro Regula
habet*, ex Bulla incip. *Decet.* num. 35. Clementis Papæ VIII. quod
vtique notandum eſt &c.

His, alijſque rationibus ductæ quamplures Religiones tam Mendi-
cantium, quàm non Mendicantium, Iure proprio, & quæſito quæ-
dam Monaſteria, & Religioſos in Capitulis Generalibus, ſeu Pro-
uincialibus reſpectiuè inuiolabiliter ſpoliauerunt. Ità Caſſinen-
ſes, in eorum Conſtitutionibus *Cap.* 21. de Regiminis directione
ſexdecim Abbates Iure non ſemper accedendi ad Capitulum Ge-
nerale priuati ſunt, declarando tamen huiuſmodi Conſtitutionem
non ad ipſos Prælatos, ſed ad ipſa Monaſteria, quibus præſunt, re-
ferri, vt expenſis parcatur. Item Cæleſtinorum Monachorum
Conſtitutiones Cap. *De his*, qui votum habent in Capitulo Ge-
nerali §. primo, pag. 320. & §. *Statuunt hæc*. -- *De Monaſterijs
autem Galliæ, ex quibus Priores ſine maximis ſumptibus, & labore
venire nequeunt, de Triennio in Triennium volumus, & mandamus
quod eadem Prouincia de nouennio tantum in nouennium Prior Pro-
uincialis cum uno Monacho ſocio electo à cæteris Prioribus, veniat
ad Capitulum Generale*; & Conſtitutiones Monachorum Montis
Oliueti de Capitulo Generali *pag.* 9. ſpoliant nonnullos Mona-
chos titulo Abbatiali, quem poſſidebant, hac conditione, *vt tituli
ſeruentur propter eos, qui ob ingrauescentis ætatis imbecillita-
tem, onus adminiſtrationis ferre non valent*; & per eaſdem Con-
ſtitutiones Cap. 58. pag. 90. *Commiſſi, Oblati, ſeù Donati* Iure
priuantur, quod habebant ab immemorabili, tranſeundi ad habi-
tum, & Ordinem Conuerſorum, cùm ibidem poſthac Conuerſo-
rum Ordo, ſeù Claſſis, ſiue ipſi Conuerſi ſupprimantur. Et ne diu-
tiùs hac in re moram protendamus, dicimus penè nullam adeſſe
Religionem, aut Congregationem quæ quandoque iuſtis de cauſis
aliquo Iure quæſito non ſpoliauerit Religioſos, & Monaſteria, &
ad commodum; noſtros Ciſtercienſes Reformatos Hiſpaniæ ad-

duci-

Digitized by Google

ducimus, qui in Capitulo Generali decreuerunt die 14. Maij anno 1605. abrogandos eſſe, prout abrogauerunt, omnes Procuratores, ſeù Diſcretos, qui ab initio Reformationis, etiam Apoſtolico munimine Ius firmatum habebant, Comitijs, ſiue Prouincialibus, ſiue Generalibus intereſſendi, validiſſimo forſan freti fundamento ſcilicet, quia, vt ait Tamburinus de Iure Abbatum tom. primo, diſput. 16. quæſt. 9. *Capitula Generalia poſſunt ſuis ſubditis auferre, & limitare vſum quorumcumque Priuilegiorum*, & de facto quamuis ob huiuſmodi Decretum Apoſtolico munimine roboratum, nonnulli Abbates, & Monachi reclamauerint ad Sanctam Sedem, nihil in contrarium obtinuerunt, immo Capitulo Generali ſic præcipienti parère compulſi ſunt ſub pœnis &c. prout *pag.* 383. libri Priuilegiorum Ordinis noſtri Ciſtercienſis.

Poſtremò Capitulum Generale Clericorum Minorum Regularium Procuratores domorum, ſeu Diſcreti (licet Ius habuiſſent à Conſtitutionibus à Sancta Sede confirmatis intereſſendi Comitijs &c. penitus abrogati ſunt hoc præciſo Decreto, *quia nulla Religionis vtilitate, quin potiùs detrimento non exiguo Procuratorum Vocalium, qui ingrederentur Capitula Prouincialia fiebat electio, ideo in poſterum non amplius eligendos, ſed abrogandos eſſe Decretum eſt*. Ita Decreta Capitulorum Generalium, inſerta Conſtitutionibus præfatæ Religionis *pag.* 4. *num.* 3. &c.

Hæc vtique relata ſufficerent ad imponendum ſilentium Chamberienſibus, etiamſi Diæta Generalis anno 1664. celebrata, & ſubſequens Capitulum pariter Generale anno 1667. habitum, Diſcretos omnes abrogaſſet iuſtis, & rationabilibus cauſis, puta, vt parceretur non modicis expenſis, & hoc, præſertim Dieta prædicta Apoſtolica auctoritate munita ſtatuere potuiſſet, vt videre eſt Breue facultatiuum huiuſmodi conuocationis Alexandri Papæ VII. incip. *Ad Apoſtolicæ dignitatis apicem &c.* quo conceditur licentia Abbati Generali, & reliquis Superioribus, tum definiendi, ordinandi, & alia huiuſmodi faciendi, *quæ in Domino expedire iudicauerint*.

Verùm placuit, & in Domino Patres præfatæ Diæte expedire iudicauerunt ex tunc reformare dumtaxat, & non abrogare Diſcretos, vt ſuprà dictum eſt, ad duos pro vnaquaque Prouincia ſicque factum eſt, vt etiam non fuerit præiudicatum Iuri prætenſo Monachorum intereſſendi Generalibus Comitijs, dum quælibet Prouincia, ſeu reſpectiuè Monaſteria, & Monachi omnes in vnum eligebant iuxtà formam præſcriptam binos Diſcretos, qui æquè benè, ac retroactis temporibus adſtitère Generali Capitulo immediatè ſubſequenti celebrato vt ſupra anno 1667. ac proindè conſenſum

ſenſum præbuerunt prælibato Decreto Diætæ recenſitæ de reformatione Diſcretorum, etiam Monachi Chamberienſes ad præſens Oppugnantes, nulla, nec extrà, nec intra ipſum Capitulum facta proteſtatione de nunc prætenſa inualiditate Decreti ſupradicti, & & ipſimet, non ſecus ac Vniuerſi Monachi, elegerunt Diſcretos binos ad formam, & præſcriptum, & ad effectum, prout ſtatutum fuerat ab ipſa Dieta Generali celebrata de anno vt ſupra 1664. illique bini Diſcreti ab ipſis etiam electi Comitijs Generalibus interfuere nomine Prouinciæ eorumdem, reſpectiue Opponentium anno 1667.

Quod autem duo Diſcreti pro quolibet Prouincia ſupplere poſſint ea omnia, quæ facere potuiſſent Vniuerſitas Monachorum, factum euidens anni 1667. probatum facit, & quia per Cap. *Nullus &c.* duo faciunt Congregationem, & *l. Ne ratius ff. de verb. ſignif.* habetur quod etiam in vno retineatur Ius Collegij. Ità etiam *Tamb. de Iure Abb. tom. 1. diſp. 5. quæſt. 8.*

Ad id verò quod ex aduerſo releuabatur, nimirum quod cum Conſtitutio Greg. ſan. mem. Papæ XIII. incip. *Romanus Pontifex* in gratiam Monachorum Ciſtercien. à nobis acceptata fuerit pro electione Abbatum titulo acceptando, foret etiam pro Diſcretis creandis, vt dicat, inſinuat iniungitque præfatis Monachis eadem met Conſtitutio: Reſpondetur, quod de tempore quo noſtra Congregatio acceptauit Conſtitutionem primo dictam Gregorij emanatam &c. quoad electionem Abb. titul. non erat opus illam acceptare pro creatione Diſcretorum cum iam eligebantur Diſcreti, modo, forma, & auctoritate generalium Capitulorum, vt ſatis ſuprà demonſtrauimus: Verùm, vt vt ſe habeat res; Conſtans eſt quod Ciſtercienſes noſtri *Cap. 26. Conſtit. eiuſmodi Abbates Titulares eligunt vt inibi &c.* & ex vi Breuis Clem. Papæ IX. rec. mem. *Diſcretos omnes abrogarunt*; Ea propter ijdem, vel titulares eligebant Abbates, ex vi recenſitæ Gregorianæ Conſt. vel priuilegio, & facultate Vrbani Papæ VIII. qui in forma ſpecifica dictorum Monachorum approbauit Conſtitutiones patrum refert, ſemper enim ſtat, quod cum noſtra Congregatio iuxtà memoratum Breue Clem. PP. VIII. incip. *Paſtoralis muneris &c.* & virtute Bullæ ampliſſimæ, & ſpecialiſſimæ Pauli PP. V. fel. record. incipien. *Diuina diſponente Clementia &c.* gaudeat quibuſcunque gratijs, priuilegijs &c. conceſſis, & concedendis Ordini noſtro Ciſtercien. in futurum, etiamſi talia eſſent, quæ ſpecialem requirerent mentionem, illiſque libere, & licitè tàm coniunctim, quam diuiſim vti liceat, priuilegio quomodolibet ſumpto etiam fruatur creandi Abbates tit. eo prorſus modo, & priuilegio, quo

de

de facto fruuntur noſtri Ciſtercienſes nulla obſtante ſuppreſſione decantata Diſcretorum &c.

Quoniam autem prætendunt Chamberienſes Breue editum die 12. Nouembris 1672. à Clemente Papa X. fel. rec. incip. *Sollicitudo Paſtoralis &c.* quo ſupprimuntur in noſtra Congregatione omnes Diſcreti, eſſe ſurreptitium ob narrata in eorum Oppoſitionibus &c. *Reſpondetur quod ex narratiua Breuis per ly experientia verò compertum ſit ex cauſa electionis eorumdem Diſcretorum in Monaſterijs, totaque Congregatione huiuſmodi maximas perturbationes, factiones, atque diſcordias exoriri, nos conſiderantes eiuſmodi Diſcretorum interuentum in Capitulis Generalibus d. Congregationis non ſolum ſuperfluum, ſed etiam propter expenſas eorum acceſſus, & reditus, ac moras in Monaſterio vbi Capitulum Generale pro tempore celebratur, non leuiter diſpendioſum eſſe, ac proinde ipſius Congregationis tranquillitati, atque vtilitati prouidere cupientes, MOTV PROPRIO; ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vt de cetero Diſcretorum prædictorum, qui Capitulis Generalibus interſint, electiones in d. Congregatione eiuſque Prouincijs, & Monaſterijs amplius non fiant, ſed tam proxime futurum quam alia quæcumque eiuſdem Congregationis Capitula Generalia, abſque interuentu Diſcretorum huiuſmodi celebrari ſolitè licitè, & validè poſſint, & debeant, tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, &c. Nec de ſurreptionis, vel obreptionis, ac nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſu, alioue quolibet, etiam quantumuis magno, & ſubſtantiali defectu notari, impugnari infringi, retractari, aut in Controuerſiam vocari, ſeu ad terminos Iuris, vel Conſtitutionum prædictarum reduci vllo modo vnquam poſſe, ſicque, & non aliter &c. -- Non obſtantibus præmiſſis à Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis &c. - Sub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam Derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, alijs Decretis etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis &c. -- ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque &c.*

Reſpondetur, quod ex prædicta narratiuà Breuis omnia Obiecta, & cauillationes, ex aduerſo &c. diluuntur, & penitus eneruantur. Præterquamquod, vt notat Bordonus reſol. 149. cenſetur etiam derogatum Concilijs Generalibus (*& à fortiori Regula D. Benedicti,*

cti, licet de Diſcretis, quod falſiſſimum eſt, differenti) ſine eorum expreſſione derogatiua, *quando gratia obtenta*, in totum, vt in noſtro Caſu, redderetur inutilis: Ratio eſt quia Priuilegium ita debet interpretari, vt aliquid operetur vltra Ius commune &c.

Cæterum ad id, quod pars aduerſa proteſtatur ſcilicet quod ſi non manuteneantur Diſcreti, ſemper decipiuntur nouitij, vel auferendi ſunt à Regula S. Benedicti, quam profitentur cap. 3. & 64. reſpondemus quod miramur per tantos homines, tot, & tanta abſurda ſic animosè prolata in medium fuiſſe: Sufficit enim nouitios inſtruere ad obſeruandam Regulam quoad vota, & ſubſtantialia ipſorum, & in reliquis non ad literam, ſed prout declaratam in noſtris Conſtitutionibus à Patribus Capitularibus; Conſtitutiones namque reuera, vt in Breui confirmatiuo Clementis Octaui inſerto eiſdem, vocantur Declarationes Regulæ Diui Benedicti, quam noſtri Nouitij vtique profitentur, vt diximus ſupra, non totaliter ſeu literaliter, ſed ſecundum illam, & conſequenter, licet Regula in 3. & 64. Capite aliquid, quod firmiter, & conſtanter negatur, de quolibet Iure Diſcretorum loqueretur, cum euidens ſit nos non profiteri Regulam totam ſeu quoad literam, & totaliter, ſed ſecundum illam, prout diximus ſupra nobiſque declaratam, & cum hujuſmodi Capita non promittant nec præſtent, nec loquantur de quocumque prætenſo Iure diuerſo à contento, & declarato, prout in noſtris Cõſtitutionibus, quocirca nec nos, nec nouitij præſentes aut futuri decepti fuimus, & in poſterum decipientur in legendis, vel audiendis huiuſmodi 3. & 64. capitibus declaratis, quæ ſiquidem ſic, & non aliter nobis imponunt onus reſpectiuè viuendi, & ſic, & non aliter profitemur ſecundum etiam recenitta duo capita regulæ &c.

Præterquam quod etiam caput tertium Regulæ nobis inſeruit in multis, vt videre eſt in Conſtitutionibus *num. primo* 2. 4. *&* 5. immo totum caput prædictum quoad literam, tam pro Superioribus, quã Inferioribus ſaltem ad normam, & directionem, præſtantiſſimum, & per quam commendabile eſt, quodq. benè perpenſum, & ad praxim redactum, ſufficiens eſt vniuerſos ad ſanctitatis culmen euehendos indubie &c.

Numquid etiam caput 64. quoad ea, quæ de particularis Prælati electione (quæ modo auctoritate Apoſtolica, & ex vi Priuilegiorum, vt probatum eſt non fit amplius à Monachis Monaſterij, cui præficiendus eſt Superior) ſed in Capitolo Generali, diſponit numquid inſeruire non poſſit pro ipſis Comitiis Generalibus, vt Patres Electores diſcant, iuxta Regulam, ſeu caput prædictum quod eligendi eſſe debeant *vitæ merito, & ſapientiæ doctrina, & Domibus Dei digni, conſtituantur diſpenſatores &c.* & præter illa, quæ ad electio-

nem

non ſpectant &c. nonne, & præordinãdis, ſed & electis Sanctus Pater Legislator de theſauro vnius etiam huiuſce capitis profert noua & vetera; in lectione ſiquidem attenta capitis 64. cor licet frigidũ, & quodammodo inhumanum, & durum emolleſcat, neceſſe eſt. Caput hoc bene perpenſum, & obſeruatum ſufficiens eſt, vt Prælati tranquillam ducant vitam adhuc in via degentes, & efficaciſſimè impetrent morientes id, quod ſeruis promittitur fidelibus, nempè vt conſtituantur ſuper omnia bona ipſius Dei viui, veri, & promittentis. Hæc dicta ſunt in gratiam, & ob reuerentiam duorum prædictornm capitum, quæ ſi non reponantur Diſcreti à cæteris alijs abradenda, & auferenda, dicunt (ſed heu quàm piaculariter) Chamberienſes. Verùm ad alias tranſeamus Cenſuras.

De Capitulo Generali.

Vt Capituli Generalis celebrandi ratio (quam propter argumenti longitudinem è Capite 3. Regulæ, ad quod pertinebat in hunc locum conſulto reiecimus) diſtinctè, & dilucidè tradatur eius deſcriptionem in certa Capita partiemur. Primum quo quæritur quid ſit Capitulum Generale, & quæ ſit eius poteſtas. ſecundum de his, qui ſunt in Capitulum conuenturi &c.

CENSVRA XXXV.

Pag. 310. num. 3. de Diſcretis ad Capitulum à quoue Monaſterio delegandis. Hoc debet reponi, quia ſi non reponuntur Diſcreti, impoſſibile eſt quod Capitula Generalia ſint Generalia, & quod electiones, & quæcumque in ijs Capitulis fient ſint alicuius valoris.

RESPONSIO XXXV.

Et vnde hoc, ò Patres Opponentes, & vnde hoc, quod tam citò obliti eſtis illius mox nobis deprædicatę reuerentiæ erga Sanctã Sedem, & Religionum omnium Generaliſſimum, nempe Romanum Pontificem, vt conuerſi in arcum prauum, adeo ferire non erubeſcatis Cathedram Petri, eiuſque Canonicum Succeſſorem Clementem Decimum *qui motu proprio*, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione, alijſque expreſſiuis, ſolitis, & efficaciſſimis clauſulis, ſuis in forma Breuis literis editis die, & anno de quibus ſupra, e noſtra in poſterum Congregatione Diſcretos omnes amandauit, expunxit, ſuppreſſit, & abrogauit? Ad quid ergo propoſitio illa tam animoſa, ſi non reponuntur Diſcreti, impoſſibile eſt quod Capitula Ge-

Generalia ſint Generalia, & quod electiones, & quæcumque in ijs Capitulis fient ſint alicuius valoris? numquid non potuit Clemens Papa Decimus fel. rec. Diſcretos omnes ſupprimere, prout ſuppreſſit; Aut non poteſt fortaſsè Religionum omnium Generaliſſimus, Romanus nimirum Pontifex, huiuſmodi Diſcretorum electionem deinceps vbique terrarum irritam facere, & abrogare? Quicquid in contrarium dicetis, retundere parati ſumus &c. ſed redite ad Cor, & irreuerentiſſimam propoſitionem erga Sanctam Sedem Apoſtolicam corrigatis neceſſe eſt, ne videamini hoſtes, & inimici Sanctæ Eccleſiæ, quod abſit,

Cap. Primum Numerus ſecundus. Penes Capitulum Generale eſt ſumma poteſtas Congregationis *quippe cum eius ſit eligere, abſoluere ipſum Abbatem Generalem. & alios quoſque, præcipuos Congregationis Officiales. Item ſancire, & decernere arbitratu ſuo (debito tamen, & præſcripto ritu) quæ à tota Congregatione ſeruanda ſunt. Demiq; de maximis quibuſq; rebus &c.*

C E N S V R A XXXVI.

Apparet contrarietas, nam ly *arbitratu ſuo* ſi ad formam refertur, eſt contradictorium; nam *arbitratu ſuo, & debito modo* non ſtant ſimul, ſi ly *arbitratu ſuo* refertur ad materiam eſt nimis amplum, quia Capitulum Generale nō habet infallibilitatem in materia morum, & Summus Pontifex, qui eſt infallibilis, non tamen arbitratu ſuo aliquid ſtatuit; ſed ſemper ſeruatis legibus Eccleſiaſticis.

R E S P O N S I O XXXVI.

Ad quid ponere ad iocum, & ludibrium ly *arbitratu ſuo*? Ipſiſſima verba tam deriſa, & notata, placuêre Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Montis regalis Ludouico, & Reuerendiſſimo Audoeno Epiſcopo Caſſanenſi olim Apoſtolicæ Viſitationis in Alma Vrbe Adiutoribus, & Operarijs, quibus à Clemente Papa Octauo Conſtitutiones de anno 1595. in Generali noſtro Capitulo lectæ, & comprobatæ, videndæ, & recognoſcendæ, ac ſicuti opus foret emendandæ, traditæ fuere: Illa verba adeò notata poſt diligens examen præfatorum Prælatorum, Clemens ipſe VIII. approbando prædictas Conſtitutiones approbauit, & confirmauit. Numquid ergo Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Domini Reuiſores, & Sanctiſſimus D. Clemens Papa Octauus contradictoria approbauit, & cætera dicteria ab Opponentibus relata confirmauit? Vndenam euanuit apud ipſos decantata reuerentia erga Sedem Apoſtolicam, & Roma-

manum Pontificem Religionum omnium Generaliſſimum, & caput omnium Eccleſiarum, & Prælatorum?

Verùm ſcire deberent Chamberienſes quod anno 1595. adhuc recens erat plaga inter Ciſtercienſes, & nos, qui veram originē a Ciſtercienſi ducimus Ordine &c. ſcire deberent quomodo, & quàm inſtabat Ciſtercienſis Abbas Ordinis Caput, cæteriq. Abbates pro Superioritate retinenda, & plenariè habenda in noſtram Congregationem, & licèt Clemens idem qui ſupra per ſuas litteras in forma Breuis editas die 4. Septembris 1592. eamdem Congregationem à Ciſtercienſis Ordinis Abbatibus, & Prælatis omni prorſus vendicatam, & Sanctæ Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectam declarauiſſet, adhuc nihilominus prætenſiones nondum deſiſtebant Ciſtercienſes à moleſtijs; adhuc Superioritati noſtræ Congregationis inhiabant, ac propterea iure meritò maiores noſtri in editione primò dictarum Conſtitutionum ad tollendas huiuſmodi prætenſiones, & oſtendendam independentiam à quocumque (Romano Pontifice inferiore) primo capiti de Generali Capitulo appoſuère verba illa: *Item ſancire, & decernere arbitratu ſuo, debito tamen, & præſcripto ritu &c. etiam contenta in vltimò impreſſis Conſtitutionibus ijſdem, aliјſq; dignis de cauſis &c.*

Numerus 5. Capitis 6. pag. 335. *Nullus omnino in Capilulo Generali ſiue præſens ſit, ſiue abſens, alterum accuſet, ſeù denunciet ſeù præſentem, ſeù abſentem, niſi de crimine vel iam iudicialiter confeſſo, vel quod per facti euidentiam, qua nulla facti poſſit tergiuerſatione celari, palam omnibus conſtiterit, vel per legitimi Iudicis Sententiam ante intimatum Capitulum Generale latam, de eo quis conuictus fuerit: Qui ſecus fecerit omnino non audiatur.*

CENSVRA XXXVII.

Is Numerus quintus prædictus eſt omninò auferendus quia tollit omnem Iuſtitiam, iniquitatem fouet, & contrarium eſt Sanctæ Conſtitutioni *pag.* 281. *in fine* §. Quod ſi quis &c. eſt etiam contra Breuia Pauli V. & Alexandri VII. quæ ſunt in fine Conſtitutionum nouarum, eſt etiam contra multos Sacros Canónes &c.

RESPONSIO XXXVII.

Caput ſeptimum primæpartis Conſtitutionem Monàchorum Caſſinenſium pro directione regiminis pag. 28. vendicat nos ab huiuſmodi parum cauta, & irreuerenti nota; Dicunt ergo inter alia ibidem Caſſinenſes; *Volentes quod omnes Prælati vocem in Capitulo,*

ſi tamen præſentes extiterint, habeant; abſentes autem à Capitulo nullam vocem habere poſſint, & quia iniquum eſt ad Generale Capitulum directos poſt longa itinera, & multas expenſas ab Actibus Capitularibus quouis titulo, vel prætextu impediri, propterea declaramus quod etiamq; illis qualibet Cenſura, vel quoduis delictum etiam ſpectans ad Tribunal Sancta Inquiſitionis obijciatur, dummodo per menſem ante ipſum Capitulum non fuerit deductum in Iudicio, nullo modo dictos Prælatos obſiſtere poſſit, quin cum cæteris Abbatibus exerceant actus, & functiones Capitulares, tam dando, quam accipiendo Vota &c. quod etiam conceſſum eſt alijs Ordinibus Religioſorum.

Hoc idem habetur in Conſtitutionibus Monachorum Ordinis noſtri Ciſtercienſis Italiæ cap.75.pag.70.præcisè. *Si intra tempus extra Capitulum aſſignatum, quis contra Prælatum, aut Monachum querelam non deferat, nullus de criminibus antehac commiſſis, aut delationi, aut patrocinio locus ſit ad effectum priuandi quemquam voce pro Capitulo proximè futuro &c.*

Ex prælibatis exemplis videre poſſunt Chamberienſes quàm immeritò notent numerum quintum huius Cap.6. prohibentem ne quis in Capitulo Generali alterum accuſet, hac tamen clauſula, quæ nō reperitur, neque in Caſſinenſium, neque in Conſtitutionibus Ciſtercienſium, ſcilicet niſi de crimine, vel iam iudicialiter confeſſo, vel quod per facti euidentiam, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari &c. Quibus verbis clarè conuincuntur Opponentes quod noſtra Congregatio non ſicut aliæ commemoratæ, *abſolute*; ſed cōditionate, arceat à Generalibus Comitijs Accuſatores, ſeu Denunciatores quorumcumque ſiue abſentium, ſiue præſentium.

Nec iſte numerus, vt aſſerit pars aduerſa eſt contrarius num. primo capitis 64. Conſtitutionum pag.281. Nam ſupponendum eſt quod Abbas Generalis, vel alius quicumque Prælatorum ſiue inferiorum accuſandus vel denunciandus de crimine ſit vel iam iudicialiter confeſſo vel iam per facti euidentiam, quæ nulla poſſit tergiuerſatione celari, conſtiterit, vel per legitimi Iudicis ſententiam ante intimatum Capitvlum Generale latam, conuictus fuerit atque idem dicendum eſt de Breui Alexandri VII. idem prorſus continenti, quod in d.num. primo idemq; à fortiori aſſerendum eſt de Breui Pauli V. pro Congregatione Monachorum Ciſtercienſis Ordinis Italiæ, ad cuius fauorem editum fuit prædictum Breue, vt vidimus, non obſtante Breui &c. Accuſatores ſeu Denunciatores à Generalibus Capitulis abſolutè, & omninò arceantur.

Quod autem ſupponendum ſit quod Abbas Generalis, vel alius Prælatus ſiue inferior debeat accuſari vel denunciari tantummodo de

crimi-

crimine euidenti,& vt ſupra probatur quia ſicut optimè vt puniantur crimina clarè patrata, & confeſſa, cautum eſt, ita ne daretur locus malignis, vel nimium ſcrupoloſis, prouidendum erat, vt prouiſum fuit, per Conſtitutiones num.5. huius cap.6. ſcilicet arcendo à Capitulo Generali deferentes, ſeu Accuſatores, aut Denunciatores criminum, quæ non poſſint per euidentiam facti probari, & vt ſupra &c.

Ad id autem quod dicitur de præfato num.ac ſi ſacris Canonibus repugnaret, reſpondemus ſi qui forſè eſſent Canones ſpectantes ad præſentem quæſtionem, debent intelligi cum grano, ſalis, & hæc omnia libenter, & non ſine fundamento dicimus, quia id, quod ſacrum ipſummet Inquiſitionis Tribunal quibuſuis Ordinibus vt ſupra dictum eſt Religioſorum, iuſtis,& rationabilibus de cauſis concedit, non eſt ſupponendum ſine temeritatis nota *quod ſit contra Sac.Canones, & Conſtitutiones, ſeu* Breuia *Apoſtolica, & quod tollat omnem Iuſtitiam, & iniquitatem foueat vt proteſtatur, ſed quam abs re, & irreuerenter Pars aduerſa &c.*

Numerus 6. Capitis 7. *Secretario ſic electo &c.pag.342. Deinde eligatur Capituli Præſes vnus &c.*

CENSVRA XXXVIII.

Poſt ly Præſes vnus, addendum, & duo vltimi Capitularium ſcrutatores futuri &c. alias eſt contra caput. *Quia propter* quod tres ſcrutatores requirit.

RESPONSIO XXXVIII

Sufficeret pro huius Obiectionis ſolutione dicere quod Conſtitutiones editæ anno 1595. pag. 217. cum inibi cautum ſit præciſis verbis, ſicut, & in vltimò impreſſis cap.7.num.6.pag.342. *Scrutatorum autem partes agant in omnibus Capitulis Superior, ſeu maior Capituli, & Vocalium poſtremus &c.* Verùm in nouis Conſtitutionibus facta electione Secretarij Capitularis, quæ eſt omnium prima, Secretarius electus ſcrutator etiam fit, & immediatè poſt illius electionem, iurat eodem modo, quo duo alij ſcrutatores iurauerunt iuxtà noſtra ſtatuta, & ſic deinceps non duo, vt in antiquis Conſtitutionibus à Sancta Sede approbatis, ſed tres ſunt ſcrutatores, vt videre eſt pag. 342.num.5. *Nihilominus etiamſi* in omnibus electionibus, & Confeſſibus Capitularibus, duo tantum eſſent ſcrutatores, contra caput *Quia propter*, ad quod nõ tenetur, ſaltẽ modo quo ad numerũ ſcrutatorum Ciſtercienſis Ordo, iuxta Conſtitutionem Clementis Papę

IV.

IV. prout in Nomaſtic. Ciſterc. cap.5. pag.472. incip. Nos circa electiones &c. & hoc idem confirmatur per aliam Conſtitutionem Leonis Papæ X. circa numerum duorum ſcrutatorum, prout in libro Priuilegiorum Ordinis noſtri pag.305. & licet poſt Concilium Tridentinum electiones ſecreto modo fiant, & ſecretis calculis, & conſequenter in hoc huiuſmodi Conſtitutiones, ſeu Priuilegia veniant correcta, in alijs tamen, quæ per Concilium Tridentinum aliter non eſt diſpoſitum, ſicuti de ſcrutatoribus, adhuc vigent, & ſunt in robore, & ſic practicatur apud Ciſtercienſes Italiæ, & Hiſpaniarum, vt videre eſt in libro Priuilegiorum, & cap. 9. Conſtitutionum de ſcrutatoribus &c.

Cap. IX. *Quæ maioris momenti ſunt, pridie quàm tractentur in Capitulo palam proponantur &c.* „ Tum Præſes altero calculo ad- „ dito rem diſcutiat, quod idem faciat in omni alio ſimili caſu &c.

CENSVRA XXXIX.

Ly *Tum Præſes altero calculo addito &c.* in Electionibus eſt contra Concilium Tridentinum ſeſſ.25.de Regular.cap.6.quia videtur in fraudem.

RESPONSIO XXXIX.

Etiam pro ſolutione huius obiecti dicere ſufficeret hoc, ſic quoque erat ſancitum in Conſtitutionibus primò editis pag. 207. vt in vltimò impreſſis pag. 348. & quod apud quaſdam Monaſticas Congregationes ita practicatur, vt in Conſtitutionibus Monachorum Montis Oliueti pag.9. Nec obſtat in contrarium allatum caput 6. ſeſſ.25.Concilij Tridentini, cum ibi in primis tantùm fit mentio de Eccleſijs Cathedralibus, & Collegiatis, nec per ſomnium nominantur Regulares, ac propterea odia ſi reſtringenda ſunt, maximè ad innominatos. Præterquam quod vbi dicitur: *Vnum autem tantùm ſit utriſque votum, id eſt duorum Canonicorum, qui eligi præcipiuntur initio cuiuslibet anni, ut aſſiſtant Epiſcopo, vel eius Vicario, tam in formando Proceſſu, quàm in cæteris omnibus actibus vſque ad finem cauſæ incluſiuè.* Et iuremerito ſtatutum fuit, quod pares dignitate, pares etiam eſſent in votis, ſcilicet quod vtriuſque tantùm ſit vnum votum, & ſic etiam eſſemus extra caſum, quamuis Regulares comprehenderentur in 6. capite Concilij, & ſeſſionis vt ſupra, quia aliud dicendum eſt de Præſide, ſeu Abbate Generali, reſpectu Capitularium, ſeu reliquorum Electorum, ſiue Conſiliariorum, qui Præſes, & Abbas Generalis vtique non pares,

pares, ſed ſuperiores dignitate ſunt, ſicut Epiſcopus reſpectu Canonicorum &c.

Vltra quàm quod etiamſi Regulares comprehenderentur, Ciſtercienſis Ordo eſſet exemptus ab hoc Decreto iuxta diſpoſitionem prædicti capitis in fine, vbi habetur præcisè: *Hac autem omnia, & ſingula in ijs Eccleſiis locum non habeant, in quibus Epiſcopi, aut eorum Vicarij ex Conſtitutionibus, vel Priuilegijs &c. maiorem habent poteſtatem, auctoritatem, ac iuriſdictionem, quàm præſenti Decreto ſit comprehenſum, quibus S. Synodus derogare non intendit &c.* & in noſtro caſu cum Ciſtercij Abbas, ſeu apud nos Præſes Capituli, & Abbas Generalis circa præſentem materiam habeant vltra Conſtitutiones primò impreſſas, & à S. Sede confirmatas, priuilegium, prout in libro priuilegiorum pag. 77. num. 12. ergo vndequaque Chamberienſes aerem verberant &c.

Doctrina allata ſoluitur altera obiectio opponentium, qua dicitur Abbatem Generalem bini vti calculis in electionibus, ſeu negotijs, eſſe contra prædictam ſeſſionem, & Caput Concilij Tridentini, & ex adductis rationibus, & quia ita Conſtitutiones impreſſæ *pagina 224. §. Eligantur*, & vltimo æditæ *pag. 367. n. 3*: Qui mos vtendi binis calculis in materia, de qua agimus, eſt approbata à Reuiſoribus, ſicut, & omnia alia contenta in prædictis Conſtitutionibus, tamquam non repugnantia Sacris Canonibus, Concilio Tridentino, & Decretis Apoſtolicis, & hæc omnia confirmata fuerunt per Breues litteras, vt ſupra toties repetitum eſt à Clemente Papa Octauo &c.

„ Numerus ſecundus Capitis 10. pag. 355. *Nullus in Abbatem*
„ *Generalem eligatur &c.* Eiuſdemque electio alternatiuè ſemper
„ celebretur, itaut vna vice ex Profeſſis Prouinciæ Romanæ aſſu-
„ matur, & altera vice ex Profeſſis Prouinciæ Pedemontanæ, & idem
„ de Procuratore Generali dictum ſit.

C E N S V R A XL.

Alternatiua, de qua ibi, videtur ſentire diuiſionem, nec in maximis, & laxis Religionibus reperitur, ſed eligunt digniorem, cuiuſcumque nationis ſit.

R E S P O N S I O XL.

Alternatiua, de qua ibi &c. meritò introducta eſt à S. Sede ſpecialiter approbata, ac propterea Opponentes ſine iniuria dictæ S. Sedis ne-

nequeunt dicere quod *videtur diuiſionem ſentire*,& præciſa etiam, deſuper hac re, Apoſtolica approbatione, ſcire deberent Chamberienſes, quod ideò diuiſio noſtræ Congregationis à Fulienſi facta fuerit, quia non ſeruabatur alternatiua, ſiue Iuſtitia diſtributiua, cum in Comitijs Generalibus Pariſijs celebratis anno 1628. decretum fuiſset quod Superior Generalis ſemper futurus eſſet eligendus ex Prouincijs Galliæ alijs Italiæ poſthabitis; ex quo multæ ortæ ſunt diſſenſiones, quæ tandem deuenerunt ad diuiſionem, & ſeparationem prædictam. Quocirca Capitulares Patres vt vnionem, & charitatem fouerent, in Capitulo Generali alternatiuam huiuſmodi decreuerunt eſt, prout in *Libro Q, C, pag.* 16. quæ fuit confirmata à Sacra Congregat. annuente Sanctiſſimo, prout mandata Breuia, & reſcripta, quæ ſeruantur in Archiuio Reuerendiſſ. Patris noſtri Abbatis Generalis &c. Quod idem ſiquidem practicatur, apud omnes ferè Congregationes Monaſticas, vt ex earumdem Conſtitutionibus vidimus, & attentè legimus & hauſimus, quæ hucuſque reſpectiuè ſuis locis pro confirmatione noſtræ, doctrinæ, & ſenteutiæ, demonſtrauimus &c.

Ad id autem quod in vltima Cenſurarum habetur, ſcilicet *ſi obtinetur diſpenſatio &c. debent fieri Actus cuiuſcumque electionis pro quolibet Superiore, & nrn ſufficit Catalogus.*

Pro Coronide noſtrarum Reſponſionum dicimus Chamberienſes, vt vidimus, & palpauimus, parùm eſſe gnaros communium noſtrarũ, & ipſorum legum, cùm certum ſit quod de vnaquaque electione fit ſpecialis Actus, & cum hi ſint diuerſi Actus, totiès quotiès à Secretario excipiuntur, ad quem ſpectat, hæc omnia, & alia Acta excipere, vt *num.* 1. *Capitis 7. pag.* 339. patet. Catalogus autem fit vt obſeruetur primus numerus *cap.* 13. *pag.* 368. nimirum vt vniuerſus cætus Capitularis de Iure poſſit ſcire tam Acta, Decretaque Capituli Generalis, quàm electiones omnium Prælatorum à Superioribus electoribus deſignatis ſecretò, & Canonicè factas &c.

Ecce quæ breui calamo adnotare potuimus circa obiecta in Conſtitutiones nonnullorum Monachorum Monaſterij S. Petri de Lemenco Chamberij, & profectò (vt ex reſponſionibus liquidò conſtat) immeritò prædicti Patres inferunt illationes illas, nullitatis videlicet Profeſſionum, Capitulorum Generalium, eorumque omnium, quæ in eis Capitulis facta ſunt, & immeritò dicunt, & putant &c. quod ſurſum, & deorſum ſint omnia in Congregatione, ac ſi omnes ex leges viueremus &c. Quamobrem hortamur Reuerentiam Tuam cuius conſcientiam etiam oneramus, & quantum in Te eſt omnem lapidem moueas, vt non ſolum Opponentes de rei con-

trouerſæ veritate edoceas, & conſequenter de corumdem falſis opinionibus, mirati ſiquidem valdè ſumus, quemadmodum Religioſæ aures tuæ audire ſuſtinuerunt Propoſitiones huiuſmodi; & diſputationes, ſeù inſanias falſas, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubuerſionem, quam ad intentionem veritatis proficiunt. Tuum erit in poſterum, ne eadem ipſorum pice videaris coinquinatus, & dicaris complex earumdem Propoſitionum) corrigere prauum morem, & præcidere linguas vaniloquas, & labia doloſa claudere. Hi etenim ſunt, qui docuerunt linguas ſuas loqui mendacium in citatione, & intelligentia Conciliorum, & ſanctionum Apoſtolicarum. Diſerti aduerſus Iuſtitiam, eruditi pro falſitate; Sapientes ſunt, vt faciant malum, aduerſus Matrem, & Fratres Congregationes, videlicet eloquentes vt impugnent verum ſtatutum, & optimè ſtabilitum. vt probauimus. Hi ſunt, qui præſumunt inſtruere, à quibus fuerant inſtruendi, aſtruunt non comperta, ſed ſua, vt adnotauimus, ſtruunt de proprio calumnias Innocentiæ, deſtruunt ſimplicitatem veritatis, obſtruunt iudicij vias. Tuum igitur erit illis, qui in Te ſpem habuerunt, & confidentiam in traditione ſuarum Propoſitionum, veritatis lumen oſtendere, illiſque demonſtrare quanta mala illi fecerint in Domo Domini, poteſtatibus, & Ordinationibus Dei reſiſtendo; Hactenus nimirum, nedum Superioribus Ordinis, ſeu noſtræ Congregationis, verum etiam, quod flentes dicimus, Sacræ Congregationis repetitis Decretis, & ipſius Summi Pontificis Litteris in forma Breuis non obtemperando; Quibus Decretis, & Breuibus literis Apoſtolicis iubebantur præfati Monachi, iuxtà omnia Iura collum Obedientiæ de ſub iugo non remouere ante legitimi, & competentis Iudicis, vt par erat nimirum, Sanctæ Sedis Iudicium, & diffinitiuam ſententiam &c.

Verum quidni peccet vagum, & malè liberum vulgus, cum non ſit qui arguat? quidni licentiùs quoque ſpolietur, ac deprædetur quodammodò inermis Religio, cum non ſit, qui defendat? quidni ſi hæc omnia patrent ſine Paſtore viuentes? qui non Dominicis, (vt ait primo ſuæ Regulæ Capite Sanctiſſimus Legislator noſter Benedictus) *ſed ſuis incluſi Ouilibus pro lege eis eſt deſideriorum voluptas, cum quicquid putauerint, vel elegerint*, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, hoc putant non licere &c.

Scribimus hæc, non vt quemquam confundamus, quamuis laceſſiti, ſed vt Filios; & Fratres perquàm dilectiſſimos admoneamus vt tandem (quod in Domino ſperamus) de Tua etiam ſolertia confidentes, vt quantum in Te eſt facias, vt Oppugnantes reſipiſcant, & Obedientiæ pede deinceps per ſemitas Iuſtitiæ gradiantur, & viuant

uant, quodque enixè deprecamur Deum Opt. Max., vt humero vno in Vinea Domini Dei Sabaoth laboremus, eumdem Indè ſperantes à magno Patre familias prouentum recepturi, non ſecus, ac iidem ipſi quibus dicitur *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*. Tu interim Vale, noſtrorum memor apud Altiſſimum, quem etiam vicaria charitate, vt animam tuam exoramus pro ſua benignitate, replere dignetur benedictionibus, optamus. Romæ xv. Kal. Decembris Anno 1698.

Abbas Generalis, & cæteri Superiores in Vrbe commorantes.

Romana

Conſtitutionum Congregationis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Ciſtercien.

P R O

Eadem Ven. Congregatione.

C O N T R A

Nonnullos Monachos Monaſterij Camberien. eiuſdem Congregationis.

Reſponſio in forma Epiſtolæ Oppoſitionibus dictorum Monachorum ſuper prætenſa inualiditate Conſtitutionum &c.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apoſt. 1698.

Digitized by Google